Poesie [illegible]

4.6

M6
13-c
BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
10 B
5
R
IV
63
6-13-C-81

ARS POETICA HORATII, ET IN EAM

PARAPHRASIS, ET παρεκβολαί, ſiue Commentariolum Ioannis Sambuci Tirnauienſis Pannonij.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



Domus S. Pantaleonis Scholarum Piarum

ANTVERPIÆ,
Ex officina Chriſtophori Plantini,
M. D. LXIIII.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

Ex hered. Franc. de Rubeis

SVMMA PRIVILEGII.

REGIS priuilegio cautum eſt, ne quis citra voluntatem Chriſtophori Plantini imprimat, aut alicubi impreſſos importet venales'ue habeat libros, quorum titulus eſt:

Tomus primus Commentariorum in Claudij Galeni opera medicorum principis, complectens interpretationem artis medicæ, & librorum ſex de locis affectis.

Centum & ſeptuaginta Emblemata, & numiſmatum aliquot antiquorum ambæ facies Ioan. Sambuci.

Ars poëtica Horatij, & in eam paraphraſis, & παραβολαὶ, ſiue Commentariolum Ioannis Sambuci Tirnauienſis Pannonij, illum à die impreſſionis abſolutæ intra ſexennium, hos autem intra quadriennium. Qui ſecus faxit, tum confiſcationis librorum ipſorum, tum verò quinquaginta florenorum pœna, fiſco Regio exoluēda, multabitur: vt latiùs in Regio diplomate expreſſum eſt. Dato Bruxellæ V. Calend. Februarij. Anno M. D. LXIII. Signato

Fabri.

DANIEL RECHNICZ FRANCISCO GENTILI NOBILI GENVENSI S. D.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CVM ante biennium in illa perturbatione Gallica, D. Sambucus tertiò Italiam reuiſere cōſtituiſſet, atque Genuæ in ſuauiſſima doctiſſimi, & antiqua virtute, atque eruditione inſignis Stephani Saulij, Oderici Medici, & aliorum conſuetudine, antè quàm Neapolim proficiſceretur, menſem hæſiſſet: annotauit quædam in Horatij Poëticā, atque paraphraſi illuſtrauit. quæ vt diuulgarē impetraui, idq́ue cum tuo nomine, atque memoria beneuolētiæ, quæ inter ipſum Sambucum, & Stephanum Gentilem fratrem tuum litterarum, & omnis philoſophiæ eiusq́ue ſectatorum amantiſſimum, vt fieret, in animum induxi, neque immeritò. Audio enim te Poëtarum æquè, ac fratrem ſtudioſum: græcis & latinis ita deditum, idq́ue exemplo, atque cohortatio-

ne domeſtica, vt præclarum nomen, atque commẽdationem Louanioſis deportaturus, adeóque multis partibus æqualium contentionem, ſpemque, & aduerſariam conſtitutam ſuperaturus. Cuius in laudis cupiditate cùm & ipſe ſim, ingenij præſtantia fortaſſe minori, ſtudio certè, ac diligẽtia pari: iſtud te, quidquid eſt, velut neceſſitudinis πρόσωπον τηλαυγέσι, καὶ μνήμοσυνον, *facilè, libenterque accepturum ſpero. Ceterùm ſi auctor hunc opuſculo ſtylũ, vti confido, & vrgere nõ deſino, rurſus applicuerit, credo ego eruditioribus quoque ipſum abundè ſatis facturũ. Intereà his, ſi videbitur, vtere, ac fruere, omninoque ita ſtatuas,* ἄνευ τοι πόνου μηδὲν εὐτυχεῖν. *Vale, Idib. Ianuarijs M. D. LXIV.*

AD

AD PISONES DE ARTE POETICA.

HVMANO capiti ceruicem pictor equinam
Iungere ſi velit, & varias inducere plumas,
Vndique collatis membris, vt turpiter atrum
Deſinat in piſcem mulier formoſa ſupernè:
Spectatum admiſſi riſum teneatis amici?
Credite, Piſones, iſti tabulæ fore librum
Perſimilem: cuius, velut ægri ſomnia, vanæ
Fingentur ſpecies: vt nec pes, nec caput vni
Reddatur formæ. pictoribus, atque poëtis
Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas.
Scimus, & hanc veniam petimuſq;, damuſq; viciſſim.
Sed non, vt placidis coëant immitia: non, vt
Serpentes auibus geminentur, tigribus agni.
Inceptis grauibus plerunque, & magna profeſſis
Purpureus, latè qui ſplendeat, vnus, & alter
Aſſuitur pannus: cùm lucus, & ara Dianæ,
Et properantis aquæ per amœnos ambitus agros,
Aut flumen Rhenum, aut pluuius deſcribitur arcus.
Sed nunc non erat his locus: & fortaſſe cupreſſum
Scis ſimulare. quid hoc, ſi fractis enatat exſpes
Nauibus, ære dato, qui pingitur? amphora cœpit
Inſtitui, currente rota cur vrceus exit?
Denique ſit, quod vis, ſimplex duntaxat, & vnum.
Maxima pars vatũ, pater, & iuuenes patre digni
Decipimur ſpecie recti. breuis eſſe laboro,
Obſcurus fio. ſectantem leuia, nerui

Deficiunt, animiq́; : profeſſus grandia, turget :
Serpit humi tutus nimium, timidusq́; procellæ.
Qui variare cupit rem prodigialiter vnam,
Delphinum ſiluis appingit, fluctibus aprum.
In vitium ducit culpæ fuga, ſi caret arte.
Aemilium circa ludum faber imus, & vngueis
Exprimet, & molleis imitabitur ære capillos,
Infelix operis ſumma, quia ponere totum
Neſciet. hunc ego me, ſi quid componere curem,
Non magis eſſe velim, quàm prauo viuere naſo,
Spectandum nigris oculis, nigroq́; capillo.
Sumite materiam veſtris, qui ſcribitis, æquam
Viribus, & verſate diu, quid ferre recuſent,
Quid valeant humeri : cui lecta potenter erit res,
Nec facundia deſeret hunc, nec lucidus ordo.
Ordinis hæc virtus erit, & Venus, aut ego fallor,
Vt iam nunc dicat, iam nunc debentia dici
Pleraque differat, & præſens in tempus omittat.
Hoc amet, hoc ſpernat promiſſi carminis auctor.
In verbis etiam tenuis, cautusq́; ſerendis :
Dixeris egregiè, notum ſi callida verbum
Reddiderit iunctura nouum : ſi fortè neceſſe eſt
Indicijs monſtrare recentibus abdita rerum :
Fingere cinctutis non exaudita Cethegis
Continget, dabiturq́; licentia ſumta pudenter.
Et noua, fictaq́; nuper habebunt verba fidem : ſi
Græco fonte cadant, parcè detorta. quid autem
Cæcilio, Plautoq́; dabit Romanus, ademtum
Virgilio, Varióque ? ego, cur acquirere pauca
Si poſſum, inuideor ? cùm lingua Catonis, & Enni
Sermonem patrium ditauerit : & noua rerum

Nomi-

Nomina protulerit? licuit, ſemperq; licebit,
Signatum præſente nota producere nomen.
Vt ſiluæ folijs pronos mutantur in annos,
Prima cadunt: ita verborum vetus interit ætas:
Et iuuenum ritu florent modò nata, vigentq;.
Debemur morti nos, noſtraq;: ſiue receptus
Terra Neptunus, claſſeis Aquilonibus arcet,
Regis opus: ſterilisve diu palus, aptaq; remis
Vicinas vrbeis alit, & graue ſentit aratrum:
Seu curſum mutauit iniquum frugibus amnis,
Doctus iter melius. mortalia facta peribunt:
Nedum ſermonum ſtet honos, & gratia viuax.
Multa renaſcentur, quæ iam cecidere: cadentq;,
Quæ nunc ſunt in honore, vocabula, ſi volet vſus:
Quem penes arbitrium eſt, & ius, & norma loquendi.
Res geſtæ, Regumq;, Ducumq;, & triſtia bella
Quo ſcribi poſſent numero, monſtrauit Homerus.
Verſibus impariter iunctis querimonia primùm,
Pòſt etiam incluſa eſt voti ſententia compos.
Quis tamen exiguos elegos emiſerit auctor,
Grammatici certant: & adhuc ſub iudice lis eſt.
Archilochum proprio rabies armauit iambo.
Hunc ſocci cepere pedem, grandesq; cothurni,
Alternis aptum ſermonibus, & populareis
Vincentem ſtrepitus, & natum rebus agendis.
Muſa dedit fidibus Diuos, puerosq; Deorum,
Et pugilem victorem, & equum certamine primum,
Et iuuenum curas, & libera vina referre.
Deſcriptas ſeruare vices, operumq; colores,
Cur ego, ſi nequeo, ignoroq;, poëta ſalutor?
Cur neſcire pudens prauè, quàm diſcere malo?

Verſibus exponi Tragicis res Comica non vult.
Indignatur item priuatis, ac propè ſocco
Dignis carminibus narrari cena Thyeſtæ.
Singula quæque locum teneant ſortita decenter.
Interdum tamen & vocem Comœdia tollit:
Iratusq; Chremes tumido delitigat ore.
Et Tragicus plerumque dolet ſermone pedeſtri.
Telephus, & Peleus, cùm pauper, & exſul vterque,
Proycit ampullas, & ſeſquipedalia verba:
Si curat cor ſpectantis tetigiſſe querela.
Non ſatis eſt pulcra eſſe poëmata: dulcia ſunto:
Et, quocunque volent, animum auditoris agunto.
Vt ridentibus arrident, ita flentibus adſunt
Humani vultus. ſi vis me flere, dolendum eſt
Primùm ipſi tibi: tunc tua me infortunia lædent,
Telephe, vel Péleû, male ſi mandata loquêris,
Aut dormitabo, aut ridebo. triſtia mæstum
Vultum verba decent: iratum, plena minarum:
Ludentem, laſciua: ſeuerum, ſeria dictu.
Format enim natura priùs nos intus ad omnem
Fortunarum habitum: iuuat, aut impellit ad iram:
Aut ad humum mærore graui deducit, & angit:
Pòſt èffert animi motus interprete lingua.
Si dicentis erunt fortunis abſona dicta,
Romani tollent equites, peditesq; cachinnum.
Intererit multum Dauúsne loquatur, herúsne:
Maturúsne ſenex, an adhuc florente iuuenta
Feruidus: an matrona potens, an ſedula nutrix:
Mercatórne vagus, cultórne virentis agelli:
Colchus, an Aſſyrius: Thebis nutritus, an Argis.
Aût famam ſequere, aut ſibi conuenientia finge

Scrip-

Scriptor. honoratum ſi fortè reponis Achillem,
Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,
Iura neget ſibi nata: nihil non arroget armis.
Sit Medea ferox, inuictaq́; flebilis Ino,
Perfidus Ixion, Io vaga, triſtis Oreſtes.
Si quid inexpertum ſcenæ committis, & audes
Perſonam formare nouam: ſeruetur ad imum
Qualis ab incepto proceſſerit, & ſibi conſtet.
Difficile eſt proprie communia dicere: tuq́;
Rectius Iliacum carmen deducis in actus,
Quam ſi proferres ignota, indictaq́; primus.
Publica materies priuati iuris erit: ſi
Nec circa vilem, patulumq́; moraberis orbem:
Nec verbum verbo curabis reddere fidus
Interpres: nec deſilies imitator in arctum,
Vnde pedem proferre pudor vetet, aut operis lex:
Nec ſic incipies, vt ſcriptor Cyclicus olim:
Fortunam Priami cantabo, & nobile bellum.
Quid dignum tanto feret hic promiſſor hiatu?
Parturient montes, naſcetur ridiculus mus.
Quantò rectius hic, qui nil molitur ineptè?
Dic mihi Muſa virum, captæ poſt tempora Troiæ,
Qui mores hominum multorum vidit, & vrbeis.
Non fumum ex fulgore, ſed ex fumo dare lucem
Cogitat: vt ſpecioſa dehinc miracula promat,
Antiphaten, Scillamq́;, & cum Cyclope Charybdin:
Nec reditum Diomedis ab interitu Meleagri,
Nec gemino bellum Troianum orditur ab ouo.
Semper ad euentum feſtinat, & in medias res
Non ſecus, ac notas, auditorem rapit: &, quæ
Deſperat tractata niteſcere poſſe, relinquit.

Atque ita mentitur: ſic veris falſa remiſcet,
Primo ne medium, medio ne diſcrepet imum.
Tu, quid ego, & populus mecum deſideret, audi.
Si plauſoris eges aulæa manentis, & vſque
Seſſuri, donec cantor, vos plaudite, dicat:
Aetatis cuiuſque notandi ſunt tibi mores,
Mobilibuſq; decor naturis dandus, & annis.
Reddere qui voces iam ſcit puer, & pede certo
Signat humum, geſtit paribus colludere: & iram
Colligit, ac ponit temere, & mutatur in horas.
Imberbis iuuenis tandem cuſtode remoto,
Gaudet equis, canibuſq;, & aprici gramine campi,
Cereus in vitium flecti, monitoribus aſper,
Vtilium tardus prouiſor, prodigus æris,
Sublimis, cupiduſq;, & amata relinquere pernix.
Conuerſis ſtudijs ætas, animuſq; virilis
Quærit opes, & amicitias, inſeruit honori:
Commiſiſſe cauet, quod mox mutare laboret.
Multa ſenem circumueniunt incommoda: vel quòd
Quærit, & inuentis miſer abſtinet, ac timet vti:
Vel quòd res omneis timidè, gelideq; miniſtrat,
Dilator, ſpe longus, iners, auiduſq; futuri,
Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero, cenſor, caſtigatorq; minorum.
Multa ferunt anni venientes commoda ſecum:
Multa recedentes adimunt. ne fortè ſeniles
Mandentur iuueni partes, pueroq; viriles:
Semper in adiunctis, æuoq; morabimur aptis.
Aut agitur res in ſcenis, aut acta refertur.
Segniùs iritant animos demiſſa per aurem,
Quàm quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus: &, quæ

Ipſe

Ipſe ſibi tradit ſpectator. non tamen intus
Digna geri, promes in ſcenam: multaq; tolles
Ex oculis, quæ mox narret facundia præſens.
Nec pueros coram populo Medea trucidet:
Aut humana palàm coquat exta nefarius Atreùs:
Aut in auem procne vertatur, Cadmus in anguem.
Quodcunque oſtendis mihi ſic, incredulus odi.
Néue minor, neu ſit quinto productior actu
Fabula, quæ poſci vult, & ſpectata reponi.
Nec Deus interſit, niſi dignus vindice nodus
Inciderit: nec quarta loqui perſona laboret.
Actoris parteis chorus, officiumq; virile
Defendat: neu quid medios intercinat actus,
Quod non propoſito conducat, & hæreat aptè.
Ille bonis faueatq;, & concilietur amicis:
Et regat iratos, & amet peccare timenteis.
Ille dapes laudet menſæ breuis: ille ſalubrem
Iuſtitiam, legesq;, & apertis otia portis:
Ille tegat commiſſa, Deosq; precetur, & oret,
Vt redeat miſeris, abeat fortuna ſuperbis.
Tibia non, vt nunc, orichalco vincta, tubæq;
Aemula, ſed tenuis, ſimplexq; foramine pauco
Adſpirare, & adeſſe choris erat vtilis, atque
Nondum ſpiſſa nimis complere ſedilia flatu.
Quò ſanè populus numerabilis, vtpote paruus,
Et frugi, caſtusq;, verecundusq; coibat.
Poſtquam cœpit agros extendere victor, & vrbem
Latior amplecti murus, vinoq; diurno
Placari Genius feſtis impune diebus:
Acceſſit numerisq;, modisq; licentia maior.
Indoctus quid enim ſaperet, liberq; laborum,

Ruſti-

Ruſticus vrbano confuſus, turpis honeſto?
Sic priſcæ motumq́; & luxuriam addidit arti
Tibicen, traxitq́; vagus per pulpita veſtem.
Sic etiam fidibus voces creuere ſeueris,
Et tulit eloquium inſolitum facundia præceps:
Vtiliumq́; ſagax rerum, & diuina futuri
Sortilegis non diſcrepuit ſententia Delphis.
Carmine qui Tragico vilem certauit ob hircum,
Mox etiam agreſteis Satyros nudauit, & aſper
Incolumi grauitate iocum tentauit: eô quòd
Illecebris erat, & grata nouitate morandus
Spectator, functusq́; ſacris, & potus, & exlex.
Verùm ita riſores, ita commendare dicaces
Conueniet Satyros, ita vertere ſeria ludo:
Ne, quicunque Deus, quicunque adhibebitur heros,
Regali conſpectus in auro nuper, & oſtro,
Migret in obſcuras humili ſermone tabernas:
Aut, dum vitat humum, nubes, & inania captet.
Effutire leueis indigna Tragœdia verſus:
Vt feſtis matrona moueri iuſſa diebus:
Intererit Satyris paullum pudibunda proteruis.
Non ego inornata, & dominantia nomina ſolùm,
Verbaq́;, Piſones, Satyrorum ſcriptor amabo:
Nec ſic enitar Tragico differre colori,
Vt nihil interſit, Dauúsne loquatur, & audax
Pythias, emuncto lucrata Simone talentum:
An cuſtos, famulusq́; Dei Silenus alumni?
Ex noto fictum carmen ſequar: vt ſibi quiuis
Speret idem, ſudet multùm, fruſtraq́; laboret
Auſus idem: tantum ſeries, iuncturaq́; pollet:
Tantum de medio ſumtis accedit honoris.

Sil-

Siluis deducti caueant, me iudice, Fauni,
Ne, velut innati triuijs, ac pæne forenſes,
Aut nimium teneris iuuenentur verſibus vnquam:
Aut immunda crepent, ignominioſaq́ dicta.
Offenduntur enim, quibus eſt equus, & pater, & res:
Nec, ſi quid fricti ciceris probat, & nucis emtor,
Aequis accipiunt animis, donantue corona.
Syllaba longa breui ſubiecta, vocatur iambus,
Pes citus: vnde etiam trimetris accreſcere iuſſit
Nomen iambëis, cùm ſenos redderet ictus:
Primus ad extremum ſimilis ſibi. non ita pridem,
Tardior vt paullò grauiorq́ veniret ad aureis,
Spondeos ſtabileis in iura paterna recepit
Commodus, & patiens: non vt de ſede ſecunda
Cederet, aut quarta ſocialiter. hic & in Atti
Nobilibus trimetris apparet rarus, & Enni.
In ſcenam miſſos magno cum pondere verſus,
Aut operæ celeris nimiùm, curaq́ carentis,
Aut ignoratæ premit artis crimine turpi.
Non quiuis videt immodulata poëmata iudex:
Et data Romanis venia eſt indigna poëtis.
Iccircóne vager, ſcribamq́ licenter? an omneis
Viſuros peccata putem mea tutus, & intra
Spem veniæ cautus? vitaui denique culpam,
Non laudem merui. vos exemplaria Græca
Nocturna verſate manu, verſate diurna.
At veſtri proaui Plautinos & numeros, &
Laudauere ſales: nimiùm patienter vtrunque,
Ne dicam ſtultè, mirati: ſi modò ego, & vos
Scimus inurbanum lepido ſeponere dicto,
Legitimumq́ ſonum digitis callemus, & aure.

Igno-

Ignotum Tragicæ genus inueniſſe Camenæ
Dicitur, & plauſtris vexiſſe poëmata Theſpis:
Quæ canerent, agerentq́ peruncti fæcibus ora.
Poſt hunc perſonæ, pallæq́ repertor honeſtæ
Aeſchylus, & modicis inſtrauit pulpita tignis:
Et docuit magnumq́ loqui, nitiq́ cothurno.
Succeſſit vetus his Comœdia, non ſine multa
Laude: ſed in vitium libertas excidit, & vim
Dignam lege regi. lex eſt accepta, chorusq́
Turpiter obticuit, ſublato iure nocendi.
Nil intentatum noſtri liquere poëtæ:
Nec minimum meruere decus, veſtigia Græca
Auſi deſerere, & celebrare domeſtica facta:
Vel qui prætextas, vel qui docuere togatas.
Nec virtute foret, clarisue potentius armis,
Quàm lingua, Latium: ſi non offenderet vnum-
Quemque poëtarum limæ labor, & mora. vos ô
Pompilius ſanguis carmen reprehendite, quod non
Multa dies, & multa litura coërcuit, atque
Perfectum decies non caſtigauit ad vnguem.
Ingenium miſera quia fortunatius arte
Credit, & excludit ſanos Helicone poëtas
Democritus: bona pars non vngueis ponere curat,
Non barbam: ſecreta petit loca, balnea vitat.
Nanciſcetur enim pretium, nomenq́ poëtæ,
Si tribus Anticyris caput inſanabile nunquam
Tonſori Licino commiſerit. ó ego læuus,
Qui purgo bilem ſub verni temporis horam,
Non alius faceret meliora poëmata. verum
Nil tanti eſt. ergo fungar vice cotis: acutum
Reddere quæ ferrum valet, exſors ipſa ſecandi.

Munus,

Munus, & officium nil ſcribens ipſe docebo:
Vnde parentur opes: quid alat, formetq́ poëtam:
Quid deceat, quid non: quò virtus, quò ferat error.
Scribendi rectè, ſapere eſt & principium, & fons.
Rem tibi Socraticæ poterunt oſtendere chartæ:
Verbaq́ prouiſam rem non inuita ſequentur.
Qui didicit, patriæ quid debeat, & quid amicis:
Quo ſit amore parens, quo frater amandus, & hoſpes:
Quod ſit Conſcripti, quod Iudicis officium, quæ
Partes in bellum miſſi Ducis: ille profectò
Reddere perſonæ ſcit conuenientia cuique.
Reſpicere exemplar vitæ, morumq́ iubebo
Doctum imitatorem, & viuas hinc ducere voces.
Interdum ſpecioſa iocis, morataq́ rectè
Fabula, nullius Veneris, ſine pondere, & arte,
Valdius oblectat populum, meliusq́ moratur,
Quàm verſus inopes rerum, nugæq́ canoræ.
Graijs ingenium, Graijs dedit ore rotundo
Muſa loqui, præter laudem, nullius auaris.
Romani pueri longis rationibus aſſem
Diſcunt in parteis centum diducere. dicat
Filius Albini, ſi de quincunce remota eſt
Vncia, quid ſuperat? poteras dixiſſe triens. eu,
Rem poteris ſeruare tuam. redit vncia, quid fit?
Semis. at hæc animos ærugo, & cura peculi,
Cùm ſemel imbuerit, ſperamus carmina fingi
Poſſe linenda cedro, & læui ſeruanda cupreſſo?
Aut prodeſſe volunt, aut delectare poëtæ:
Aut ſimul & iucunda, & idonea dicere vitæ.
Quidquid præcipies, eſto breuis: vt citò dicta
Percipiant animi dociles, teneantq́ fideles.

Omne

Omne ſuperuacuum pleno de pectore manat.
Ficta voluptatis cauſsa, ſint proxima veris.
Nec, quodcunque volet, poſcat ſibi fabula credi:
Neu pranſæ Lamiæ viuum puerum extrahat aluo.
Centuriæ ſeniorum agitant expertia frugis:
Celſi prætereunt auſtera poëmata Rhamnes.
Omne tulit punctum, qui miſcuit vtile dulci,
Lectorem delectando, paritérq; monendo.
Hic meret æra liber Soſys: hic & mare tranſit,
Et longum noto ſcriptori prorogat æuum.
Sunt delicta tamen, quibus ignouiſſe velimus.
Nã neque chorda ſonũ reddit, quẽ vult manus, & mẽs,
Poſcentíq; grauem perſæpè remittit acutum:
Nec ſemper feriet, quodcunque minabitur, arcus.
Verùm, vbi plura nitent in carmine, non ego paucis
Offendar maculis: quas aut incuria fudit,
Aut humana parum cauit natura. quid ergo?
Vt ſcriptor ſi peccat idem librarius vſque,
Quamuis eſt monitus, venia caret: & citharœdus
Ridetur, chorda qui ſemper oberrat eadem.
Sic mihi qui multùm ceſſat, fit Cherilus ille,
Quem bis, terq; bonum cum riſu miror: & idem
Indignor, quandoque bonus dormitat Homerus:
Verùm opere in longo fas eſt obrepere ſomnum.
Vt pictura, poëſis erit, quæ, ſi propiùs ſtes,
Te capiat magis: & quædam, ſi longiùs abſtes.
Hæc amat obſcurum: volet hæc ſub luce videri,
Iudicis argutum quæ non formidat acumen.
Hæc placuit ſemel: hæc decies repetita placebit.
O' maior iuuenum, quamuis & voce paterna
Fingeris ad rectum, & per te ſapis: hoc tibi dictum
Tolle

Tolle memor: certis medium, & tolerabile rebus
Rectè concedi. conſultus iuris, & actor
Cauſſarum mediocris, abeſt virtute diſerti
Meſſallæ: neſcit, quantum Caſcellius Aulus:
Sed tamen in pretio eſt. mediocribus eſſe poëtis
Non Dij, non homines, non conceſſere columnæ.
Vt gratas inter menſas ſymphonia diſcors,
Et craſſum vnguentum, & Sardo cum melle papauer
Offendunt: poterat duci quia cena ſine iſtis:
Sic animis natum, inuentumq́; poëma iuuandis,
Si paullum ſummo diſceſſit, vergit ad imum.
Ludere qui neſcit, campeſtribus abſtinet armis:
Indoctusq́; pilæ, diſcìue, trochìue quieſcit:
Ne ſpiſſæ riſum tollant impunè coronæ.
Qui neſcit, verſus tamen audet fingere. quid ni?
Liber, & ingenuus, præſertim cenſus equeſtrem
Summam nummorum, vitioq́; remotus ab omni.
Tu nihil inuita dices, faciesq́; Minerua:
Id tibi iudicium eſt, ea mens. ſi quid tamen olim
Scripſeris, in Meci deſcendat iudicis aureis,
Et patris, & noſtras: nonumq́; prematur in annum.
Membranis intus poſitis delere licebit,
Quod non edideris: neſcit vox miſſa reuerti.
Silueſtreis homines ſacer, interpresq́; Deorum
Cædibus, & victu fœdo deterruit Orpheus:
Dictus ob hoc lenire tigreis, rapidosq́; leones.
Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis
Saxa mouere ſono teſtudinis, & prece blanda
Ducere quò vellet. fuit hæc ſapientia quondam,
Publica priuatis ſecernere, ſacra profanis:
Concubitu prohibere vago, dare iura maritis:

Oppida moliri, leges incidere ligno.
Sic honor, & nomen diuinis vatibus, atque
Carminibus vênit. poſt hos inſignis Homerus,
Tyrtæusq́; mares animos in Martia bella
Verſibus exacuit. dicta per carmina ſortes,
Et vitæ monſtrata via eſt: & gratia Regum
Pieriis tentata modis, ludusq́; repertus,
Et longorum operum finis: ne ſortè pudori
Sit tibi Muſa lyræ ſollers, & cantor Apollo.
Natura fieret laudabile carmen, an arte,
Quæſitum eſt. ego nec ſtudium ſine diuite vena,
Nec rude quid proſit video ingenium: alterius ſic
Altera poſcit opem res, & coniurat amicè.
Qui ſtudet optatam curſu contingere metam,
Multa tulit, fecitq́; puer: ſudauit & alſit:
Abſtinuit Venere, & vino. qui Pythia cantat
Tibicen, didicit priùs, extimuitq́; magiſtrum.
Nunc ſatis eſt dixiſſe, ego mira poëmata pango.
Occupet extremum ſcabies. mihi turpe relinqui eſt,
Et, quod non didici, ſanè neſcire fateri.
Vt præco, ad merces turbam qui cogit emendas,
Aſſentatores iubet ad lucrum ire poëta
Diues agris, diues poſitis in fœnore nummis.
Si verò eſt, vnctum qui rectè ponere poſſit,
Et ſpondere leui pro paupere, & eripere atris
Litibus implicitum: mirabor, ſi ſciet inter-
Noſcere mendacem, verumq́; beatus amicum.
Tu ſeu donaris, ſeu quid donare voles cui,
Nolito ad verſus tibi factos ducere plenum
Lætitiæ. clamabit enim pulcrè, bene, rectè,
Palleſcet ſuper his, etiam ſtillabit amicis

Ex

Ex oculis rorem, ſaliet. tundet pede terram.
Vt, qui conducti plorant in funere, dicunt,
Et faciunt prope plura dolentibus ex animo: ſic
Deriſor vero plus laudatore mouetur.
Reges dicuntur multis vrgere culullis,
Et torquere mero, quem perſpexiſſe laborant,
An ſit amicitia dignus. ſi carmina condes,
Nunquam te fallant animi ſub vulpe latentes.
Quinctilio ſi quid recitares, corrige, ſodes,
Hoc, aiebat, & hoc. meliùs te poſſe negares,
Bis, terq́; expertum fruſtra, delere iubebat,
Et male tornatos incudi reddere verſus.
Si defendere delictum, quàm vertere, malles:
Nullum vltrà verbum, aut operam ſumebat inanem,
Quin ſine riuali téque, & tua ſolus amares.
Vir bonus, & prudens verſus reprehendet inerteis,
Culpabit duros, incomtis allinet atrum
Tranſuerſo calamo ſignum, ambitioſa recidet
Ornamenta, parum claris lucem dare coget,
Arguet ambiguè dictum, mutanda notabit,
Fiet Ariſtarchus: nec dicet, cur ego amicum
Offendam in nugis? hæ nugæ ſeria ducent
In mala deriſum ſemel, exceptumq́; ſiniſtrè.
Vt, mala quem ſcabies, aut morbus regius vrget,
Aut fanaticus error, & iracunda Diana,
Veſanum tetigiſſe timent, fugiuntq́; poëtam,
Qui ſapiunt: agitant pueri, incautiq́; ſequuntur.
Hic, dum ſublimeis verſus ructatur, & errat:
Si veluti merulis intentus décidit auceps
In puteum, foueámue: licet, ſuccurrite, longùm
Clamet, io, ciues: non ſit, qui tollere curet.

Si quis curet opem ferre, & demittere funem:
Qui ſcis, an prudens huc ſe deiecerit? atque
Seruari nolit? dicam, Siculiq́ poëtæ
Narrabo interitum. Deus immortalis haberi
Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Ætnam
Inſiluit, ſit ius, liceatq́ perire poëtis.
Inuitum qui ſeruat, idem facit occidenti.
Nec ſemel hoc fecit: nec, ſi retractus erit, iam
Fiet homo, & ponet famoſæ mortis amorem.
Nec ſatis appâret, cur verſus factitet: vtrum
Minxerit in patrios cineres, an triſte bidental
Mouerit inceſtus, certè furit: ac, velut vrſus,
Obiectos caueæ valuit ſi frangere clathros,
Indoctum, doctumq́ fugat recitator acerbus:
Quem verò arripuit, tenet, occîditq́ legendo,
Non miſſura cutem, niſi plena cruoris, hirudo.

FINIS LIB. DE ARTE POETICA.

PARAPHRASIS SAMBVCI.

QVONIAM NIHIL EST PARtium diſſimilitudine, atque materia, quæ ad vnum aliquem ſcopum dirigitur, deformi turpius, præſertim ſi varietas iuncta monſtrum pariat, nec *τὰ ποῖα, καὶ πόσα μόρια τοῦ ὅλῳ συμβαίνει*: nō ſatis attenti ſunt, nec officiū poëtæ intelligunt, qui ſua Sphyngis more, aut pictoris incredibile portētum fingentis componūt: atque riſu digni ſunt, quum nec pes, nec manus reliquo corpori congruant. Vt bucolica ſcripturus ſi diuina, & humana, tragica, & leuiora, & grandiora ſingula tanquàm præcipua *τῶν πραγμάτων* miſceas, omniaq́ue ponas confuſè, quis laudarit? Non diſſimilis quidem licentia poëtæ, ac pictoribus conceditur, ſuoq́ue more quædam liberiùs comminiſcuntur: illa tamen certa rerum imitatione ita conformantur, vt apta ad credendum cum delectatione, atque confecta admiratione fiant. Quod certè nō aſſequemur, ſi quæ domeſtica, & humana ſunt feris iungamus quæ in aëre verſántur, aut terra, piſcibus, & contrà miſceamus: niſi interdum quædam

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

artificioſè ἀπίθανα, καὶ ἀδύνατα ad fidē cōtrarij faciendā adhibeantur. Ac quidē comœdijs nō nulla hyperbata grata ſunt, vt ſi dicas: Perſas boues in furno pro panibus aſſaſſe, Medocē Regē in mala bouē geſtaſſe, γελοῖα enim iſta ſunt: at in tragœdijs, rebuſque grauibus τὸ εὔχαρι propriū eſt, θαύματα καὶ φαντάσματα verbis exornata ridētur. Sūt tamē qui permitti ſibi initio vel ab argumēto aliena, tāquā πρόσωπον τηλαυγὲς velint, quod illis facilè dederim: ſed plerūque nimij ſunt in his parergis, vt dū lucū, aut Dianæ arā deſcribūt, pręter rē aliena attexāt, vel hęc ipſa grauioribus prolixiùs addāt. Quod ipſum tamē odioſum intelligētibus eſt, atque eius qui omnibus operibus ſuis ἀπροσδιονύσως cupreſſum appingebat, vt etiamſi tabellā ob naufragiū Neptuno votā conduxeris, æsque acceperit, tamen vel inuito illā ineptè, moleſteque addiderit. Exordiū igitur reliquis cōſentiat, nec quod figulo ſi accideret, vt ex amphora inſtituta capaci vrceolo exeūte riſui eſſet, idē poëtę vſu veniat, quod & Cyclico illi ante fumū ignē oſtētāti accidit. ſed nec in grauibus exordio illo vterer: Ordior arma, &c. Itaque ſcribendū quod ſuſcepiſti, etiāſi ornatus, vel expoſitionis

nis quędã ergò inſerãtur, ſimplex tamen,vnuſque ſcopus ſit inuentionis,partiũque ad caput ratio directa,& accommodatio,ne in piſcẽ formoſa deſinat puella,& ęgroti velut ſomnia ex vitioſis humoribꝰ,nõ ſecũdũ naturã oblata iudicẽtur. Nã ſi ob ſimilitudinẽ rectorũ maxima pars vatũ decipitur, vt dũ ſe in cõſilij ſui, & argumẽti ſumma explicatione verſari putãt, in proximũ aliquod,affineque vitiũ aberrẽt, dumque ſe luci & aræ Dianæ meminiſſe obiter putãt,ea in re aliquot paginas cõſumãt, itẽque dũ breuitatẽ ſectãtur,obſcuriores fiant,dũ nõ neceſſaria, ἢ τὰ ἔξω τοῦ πράγματος curioſiùs deſcribũt, in neceſſariis minùs ſatisfaciãt: quẽadmodum ſi in regno apum recitando Virgilius reliqua,quorum cauſſa in manus calamum ſumpſerat,frigidè, leuiterque attigiſſet,ars, & cautio ſtylo adiungenda, ne ea illigemur culpa,notaque laboremus. Nec ſecus error procliuis eſt è ſublimi charactere, vt rebus vacui,aut præter decorum perſonarum tumidi,inflati, & corrupti exiſtamus,vel contra dum attenuato, ac preſſo genere dicendi inſeruimus,immodicè aſſurgamus, dum ſcilicet timidè circumſpicimus, & ſine artificio cauemus, ne extra fines efferamur.

Vt ſi de Therſite verba facturi, quia inuiſus, quia ineptus fuerit, hominis agricolæ, aque negotiis,& rationibus ciuilibus remoti omnino, rudisque ſermonem attribuamus. Ne igitur dum τὸ ποικίλον captamus, aliquid prodigioſè perſequamur, è ſiluis aprum in mare, delphinē in ſiluas vocemus, humi repentia volantibus ſocientur, etiam ac etiam proſpiciendum, nec à mediocritate ad extrema decidemus. Ac non minus faber is ridiculus fuerit, qui ad Æmilium ludum gladiatorum ima in parte officinam habet, ſi diligēter capillos, & vngues expreſſerit, extremaque corporis lineamenta repreſentet, præcipua verò nō abſoluat: quod enim ad me, malim nigris oculis, & capillis efformari, naſoque nullo, aut prauo, quàm illius fabri opera æreus duci. Si de palearibus, de cornibus taurorum, & vngulis copiosè loquare, vt verò ſolum vertere, quóue tempore debeat arator ſilentio prætereas: ſi de ſtipendio militibus ampliter numerando, de veſtitu, & annona plenè tractaris, quid autem pręſtiterint in acie, quid'ue debeant, & quibus de cauſſis, nihil ſignifices, næ ego te parùm cogitatò profeſſioni poëtices ſtudere dixerim. Cùm igitur prona ſit aber-

aberratio, auctor omnibus ſum, vt antè, quàm ſuſcepto operi manum applicent, in omnes partes oculum, animumque intendant, vires ſuas explorent, ne, quàm baiuli qui ſe, & interuallum loci, antè, quàm oneri ſuccedant, prouident, minùs cauti deprehendantur. Quis enim vel ipſum Virgilium non rideret, ſi Homerum imitaturus, de Ænea omninò aliter, quàm de Vlyſſe dixiſſet: de fortitudine diſputaturus ſecus, quàm de Achille, de prudentia, non vt de Neſtore diſſeruerit, ſed leuiter non nulla perſtrinxerit, & in medio itinere defecerit? Vtilitas igitur non exigua ad hanc ingenij, naturæque conſiderationem ſequitur, quòd & ordo, partiumque apta diſtributio ſeſe, vt clara vniuerſa, & ſingula rebus, & verbis fiant, offerat & magnitudine æquali deceant. Sed non ſolùm de rebus ſolicitum eſſe oportet poëtam, verùm ordinis, vt dicebam, qui niſi probus ſit,quamuis magna,& ardua nullam gratiam obtinebunt: laudabilis autem fuerit,ſi non hiſtoricorum more, aut ſcholarum dicēdi, vulgatè ſingula diſponemus, ſed tēporibus, locis, perſonis, vt Virtuti venuſtas adſit, quoque inſeruiemus,differen-

do quæ ſtatim poni debebant, recitádo quę poſteriùs dici potuiſſet, ijs, quæ niteſcere ne queunt minimè immorando, quædam ſimulata prętcritione narrando, lectorem ſępè noua ſpe, caſibusque ducendo ac fingendo, per media ad extrema properando, mixtisque falſa permutando, ſuauiterque fingendo, ne auditores tædium capiant: qua in parte admirabilem ſe Homerus, humana non ſtirpe creatus, præſtitit, itemque inſignis eius imitator Æſchylus, atque noſter Virgilius. Potiſſima cura verborum incūbet, ne temerè, & abſque exēplis quoquo modo ferantur: nā res ſine verborū delectu, & proprio vſu nō magis, quā verba ſine rebus valēt. Itaque quantū rerū, & cōſuetudinis natura feret, propriis, & commodis vtemur, nec obſoletis prorſus, aut nūquā auditis leuiter, crebroque abutemur. Quòd ſi accidat, vt noua ſint faciēda, propter nōdum res cognitas, aut trāsferēda, ſimilitudine id aliqua rerū, vel deflexionis, vel circuitionis vel cōiugatè, (vt à debito debitio) itemque artifici compoſitione ſingulorū, & coniunctorum moliemur, ſimulque facili à Græcis deriuatione, vt vix migrationis veſtigia reſtent: metaphoræ autem adeò naturales

ſunt,

ſunt, vt vel indocti tanquàm ſtellas, ornamentaque vſurpent. Cæterùm quod aliqui hanc linguas cumulandi rationé vitio vertunt, iniquè faciunt. Cur enim Virgilio, & Varo minùs, quàm Plauto vel Ennio licuerit? cur item ego inuideor, prodigialiter, celſo gaudere ſocialiter, &c. non dixerim? ſed analogia ſit rerum cum verbis, & iunctura, vel ad ſimilia in eodem, vel Græcorum affinitas, cuius generis plurima nũc in Latinis videmus, & interim vetuſtis quoque licebit condire, vt cinctutis, poteſtur, &c. quæ ne Catonis, aut Cethegorum memoria quidem viguere, aut patienter fuiſſent audita, minimùm oratoribus ad forum paratis, & expeditis. Si enim rerum non idem, perpetuusque eſt ſtatus, ſi quod ortu prodijt, aliquando mutari, ac deſinere omnino ſolet: ſi humana opera terra mari, hoc terra, commutari potuit, ſi tot ciuitatũ, regionum cadauera conſpiciũtur, vt ait Seruius: cur potiorem notis conditionem tribueris, quæ miniſtrę, ac indices ſenſuum, ac rerum ad arbitrium vulgi, vſusque certa norma loquẽdi ſunt comparatæ? Plurima enim ſunt hodie recepta, & in conſuetudinem adducta, quæ poſteritas reſpuet, nec olim exau-

dita fuère : bella quoque, gentium migrationes multa corrigunt, immutāt (vt Latinam Longobardi,& Gothi: Gręcam Thraçij,ac Scythæ: Græcam olim quidem Siculi rudiores.) Non ſecus quæ Catoni, Cethegis familiaria, & in omnium auribus poſita erant, Cicero reiecit, quomodò Ennij, Pacuuij, Lucretij multa Virgilius. Vt verò exemplis meliorum nitamur, quando quæque res ſuas formas, numeros habent, ſiquidem & natura formis diſtincta eſt : res heroum, ac bella, vt ſint tractanda, Homerus oſtendit. Elegis autem res olim tātùm lugubres, pòſt quæuis etiam lętę, liberęque cogitationes, mordaces quoque, & inuectiuę ſcribi cœperunt, de cuius auctore nondum certò conſtat, ac alij aliter iudicant. Iambos Archilochus, quem ego primus in Latinis imitatus feliciter expreſſi, expoliuit, & potiſſimùm frequentauit: quòd ijs numerus colloquijs, rebuſque familiaribus non extra vulgi ſermonem poſitus, accommodatuſque videatur, nec, quęuis lex eius eſt, à libera oratione admodum remotus. Olim omnibus ſedibus proprio, eodemque pede pangebatur, nunc, vt alternis locis admittatur, vel vltimò ſaltem, ac ſecundo iambus appareat,

reat, boni conſulit: ita multi alii in ius, & poſſeſſionem huius irrepſere. Lyricis heroũ diuûmque laudes commemorabantur, ac ludi cum Apollinis encomio inſtituti, deinde ſympoſia quoque, & lauta conuiuia. Atque hanc varietatem & proprias cuiusque carminis vices, atque officia niſi poëta bene teneat, aut diſcere velit, eo nomine graui dignus minimè fuerit. quę enim dementia eſt quod ignoras nolle fateri, profeſſum aſpernari? cur inani titulo opinionem, atque oculos aliorum pręſtringere cupias, leuiterque fumum venditare? Nec à ratione abſonum eſt non omnes res, materiasque eadẽ orationis, numerique, ac legum conditione comprehendi: Vt enim non quæuis voces promiſcuè quaſuis res dęnotant, vt naturæ in formis eſt copia, ita nec quiuis numerus, & verba quaſlibet res iuſtè veſtierit, & admiſerit. Vt ſi cœnam illam Thyeſtę horrendam & miſerabilem, iocis, ac ridiculis compleas, & in modum leuium, ac delectabiliũ τῶν τε φαυλοτέρων exhibeas, grauitas tanto exemplo non reſponderit, ac vt indumenta, & calcei pedibus nõ quibuſuis apti ſunt, alios mimorum planipedia, ſocci alios, cothurni altiſſimas res, atque regias depoſcũt,

& ſcenographiarum apparatus materiam declarabat: ita poëtam rerum conditionem ſequi verbis, ornatu, metroque, neceſſe eſt: nam ſua cuique propoſita lex eſt, ſuusque decor, nec comœdia in cothurnos aſſurgit, nec iſta in comœdiam diſcedit: & ſi interim perſonæ comœdiarum ob indignationem, querimonias, & lites ſint vehemẽtiores, vt Chremes in Heauton. actu quinto, viciſſimque tragœdia de auctoritate remittere ſoleat, ſeſeque abiicere: quomodò luctus plena querela Thelephi, ac Pelei apud Euripidẽ teſtatur, perſonę infra tragœdiæ altitudinem: ſed tamẽ vt ſortis indignitatẽ cõmiſeratione augeãt, inflatis, & prolixis vocib⁹ prodeũt. Sed nec is, qui decorum perſonãrũ, & rerum cuſtodierit cuncta pręſtiterit: niſi gratioſè pulcritudinẽ illam ſuauibus condierit, vt in animos citiùs influant, atque feſtiuitate præſentes imbuant, varieque afficiant, ac velut ceram mobiles in formas, modumque rerũ adducant. Laudo ego partium ratione iuſtã ædificium, laudo materiæ dignitatem, fundamenta: ſed niſi cõgrua pictura, vel tectorij, parietumque artificium aſpectu gratius illud reddat, exornetque, non ita prætere-

untem

untem morabitur. Itaque poëmata cùm erudiant,ſuaque conſtent forma,cultu niteſcant, gratia tamen amabili vt alliciant, moueant, tingant auditores, requiritur: multę enim elegãtes forma & pręſtãtes omni dignitate ſunt puellæ, quæ ſine blãdicijs, ac Venere in geſtibus oculorũ,inceſſus,orationis minùs,quã deformes etiã pelliciunt. Plurimi ſunt fructus aſpectu,& maturitate pulcri,ſani, qui tamen guſtu ingrati, aut odore graues,negliguntur,quẽadmodũ deteriores nonnihil, ſed ſtomacho grati meliori bus cibis præferuntur,ac minùs interim lædunt. Vtrũque igitur in poëmate certet,atque extet, pulcritudo cum gratia,& dulcedine, atque ipſum vtile, ſeſeque inſinuet. Quod facilè is aſſequetur, qui quid cuique rei,perſonę,officio,genti,conditionibus,tẽpori cõueniat, attẽderit,illa meditata,& tractata habuerit, in quibus vniuerſa illa eſt dignitas & aptitudo,quæ priùs dicentẽ intus informat, deinde idem ab alijs, impetrat. Quòd ſi abſonus fuerit animus,& dicta recitantis à ποιότητι, καὶ ποσότητι rerũ, nec ſe antè infecerit,quo alios notare velit colore, ſummum riſum omniũ ordinũ concitabit. Si Hannibal in clade Romanorũ ſolus,quia
læta-

lætabatur,fuit reprehenſus: quantò magis in noſtris ipſi niſi præferamus voce, vultu, animo,quæ in alijs efficere nitimur,dignos riſu nos propinamus? Diſtincta igitur & partita ſingula ſuo decoro per circumſtantias ſint,aptaque oportet:hocque eſt quod poëtam inſtructum omni rerum varietate, atque copia reddit.Exempla verò primum aliorum imitere ſuadeo, artemque non diſſimilem adhibeto. Quis enim Medæam Bucolicis, Achillē Georgicis propoſuerit? Ex Homero igitur,& alijs,vt fidem mereare,τὰ τῶν πραγμάτων καὶ προσωποποίησιν aſſumamus, aut ſimilia moliamur, ne aperta omnia ſint, ac ſine induſtria veſtigia compareant. Quòd ſi nouas perſonas confinxeris, analogia rebus καὶ τὸ ἀπ' ἀρχῆς ἄχει τέλους ſibi conſentiant, ne in exitu fabulæ incerto, aut fide nō digno ad alienam à conſilio opem recurrendum ſit, atque Dij implorandi. Nam ſi Vlyſſi, quæ homini varia fortuna iactato ſolent, initio tribuas, eius conſilia, comitatum,rationes probes, in medio opere timidum, ineptum, voluptatibus addictum referas,poſtremò tanta prudentia, vigiliis, armis eniſum è periculis, denuò in metus, ſomnos conijcias, atque nihil

nihil profeciſſe virtute atque conſtantia dicas, quis crediderit? Nunquá igitur currẽte rota ex amphora vrceus exeat, nunquam Therſites in Vlyſſem, Achilles in Margitẽ tranſeat. Vt igitur minùs aberremus dùm corroboratus ſit ſtylus, atque cogitationes ſint propriæ, alienis veſtigijs, ac perſonis inſiſtemus, nomina quoque retinebimus, modò argumento differant. Non cuiuſuis eſt enim noua, vt placeát, inuenire, & quibuſdam nihil, quod à noſtris excogitatur, arridet. ſed non minor difficultas, ſi, quæ nota ſunt, & communia, diſſimulare artificio velis, proque tuo adducere: quod ſi tamen poſſis, demum te poëtam dixerim, qui ſola ferè ἐργασία, non materia quadam propria, ab alijs ſcriptoribus diſſidet: vt res alienas tamen ſuo modo repetitas proprias faciat, & admirabiles. Si enim res ſpectes, philoſophi non deſunt, non hiſtorici, non oratores, quorum opera quæ neceſſaria ſunt facilè, & abundè ſuppeditare poteſt, ſed nec fabulatores deſunt, vt horum nihil ſeparatum ipſi poëmati, ſingulareque dederis: ſed adiunctis ſuis, & ſuaui tractatione poëta illa omnia gratiora efficit, inque animos, & mentem ſubit, & res non quales modò ſint, ſed

poſſint,ac eſſe debeant,enumerat, καὶ θαῦμα excitat. Iſtud verò cumulatius præſtiterit,ſi non omnino vulgata ſuſceperit,nec, quo alij idem modo, elaborarit, ſed ordine partium,expoſitione,alijs additis, aut detractis, commutatiſque idem dicere videbitur,ſed priuatim,non cõmuni,viaque trita. A' Græcis petenda erunt optima exempla, quorum grauitas ſententiarum cũ illa ſuauitate dictionis,καὶ εὐστομία noſtrum quoque ſtylum ſimilitudine imbuet,nomen tamen cum numeris aliud ſubſtitui poterit,& à ſimilibus caſibus ad ſimiles, & cognatos euẽtus, & caſus facilis eſt commutatio, vt ab ira ad furorem,à cæde ad rapinam,ab amore ad metum & deſperationem,ab horribilibus ad miſeratione digna, & faciliùs Demodocum ad quaſuis artes,& hilaritatem, quàm Therſitem vocaris. Atque hæc non de poëtis ſolùm accipitur, verùm quoque oratoribus: nam & Demoſthenes grauitatem à tragicis,quæ in Homero animaduertit,ſua inſtruxit,& lenitate, licèt non rotunda,Thucydidis ſuauia reddidit,& quis dubitat ex Homeri Euripidis, ſimiliũque ſcriptis Platonem locupletiorẽ factum, & omne genus argumenti ſimilitudine artificij
pro-

propria feciſſe? Imitandum igitur cenſeo,
ſed vicioſa non aſſumenda, vt etiamſi à Cy-
clico illo tumido, & vano quædam mutua-
ris, tamen exordium illud operis fine lon-
gè diſſimillimũ neglexerim, atque Homerũ
præpoſuerim, qui in receſſu plus, quàm frõ-
te gerit, nec vt ille ignem ante fumum, ſed
contrà, vt auditorem aſſiduum, & ſuſpen-
ſum teneat, fumum ante ignẽ ponit. Quis
enim Homerum arte vnquam vicit, varie-
tate in tenendo lectore, ac mirifica *μεταλλη-
λίᾳ* partium æquauit? Orationis figuris, ex-
politionibus, qui initio nihil pollicetur,
quin ſequentia ſint maiora, leuia, grauibus,
& contrà cõfert. ita enim differt, vt ſatis di-
cta, quædam explicata velut ſilentio inuo-
luta ſint, à medio ad extrema, extremis ad
media progreditur, eoque artificioſa ve-
nuſtas operi conciliatur, cùm fictorum
interpoſitioni. perſonæ perpetuò ſibi ſimi-
les ſunt: alioqui eius ſcripta quid à Darete
Phrygio, & quouis hiſtorico differrent? Ete-
nim ſi ab vltima memoria, & ortu belli cauſ
ſas, progreſſus, euenta, conſilia ordine recen
ſuiſſet, atque cognitioni tantùm poſterita-
tis cauiſſet: mallem ea conditione hiſtori-
cos ſemper veros lectitare, quàm poëtas,

qui figmentis etiam quę vera ſunt,vero red dunt ſimilia. Hocque eſt quod dicebam poëtas ab omnibus alijs ſeparari, tractationis mirifica laude. Quocirca ſi fabulis tuis auditores demereri, & ad finem vſque in theatro benignos retinere ſtudes, artificiũ illud tenendum eſt,quod præſertim ex conditionum, ac circunſtantiarum varietate conſtat,vt ludicris σπουδαῖα, his τὰ ἡδεῖα ſint contemperata,omnium ordinum vices, ac proprietates ſint diſtinctæ,quiſque pro ſe aliquid ex auditione vtilitatis ſentiat, partemque fabulæ aliquã ad ſe pertinere exiſtimet. itaque in adiunctis perſonarum, ac rerum,æuoque moraberis apto, quod apud oratores τὴν δεινότητα efficit,in moribus officium, καὶ καθῆκον vocatur. Vniuerſa commendatio poëtæ in aptitudine rerum, & perſonarum nõ minùs, quàm partium vtili tributione verſatur, vt τῷ ἁρμόττοντι κατανοντικῶς moueat,rebusque doceat.In materia verò ne pecces, atque ſcurrilibus dignitatem rerum eleues, voluptatis cauſſa indes,quę non omnino à fide relicta ſint,non quæuis enim quilibet credunt,deinde alia, atque alia diuerſæ hominum ſortes efflagitant, locus, & tempus non eadem gratia,

qua

qua aures omnia recipiunt: in oculis multa ſunt horrenda, quibus aures non turbátur, nec niſi ab aſpectu animus offenditur. Diſtingues inter apologum, & fabulam veriſimilem, nec quidquam horum præſertim initio pones, etſi oratoribus interim, feſſis aduerſariorum auribus, & fatigatis id per inſinuationem permittatur. Si Medeæ fabulam tantùm narrari audias, vel pictam videas, minùs animus, quàm perſonarum, exemplíque repreſentatione exhorreſcet, ab his igitur, & ſimilibus non ſolùm propter atrocitatem, ſed fidem quoque tenuem abſtinebimus, ne domi nata videantur, minusque ſint πιςοτικά. Nec Prognen igitur adduces, neque Atrei deteſtandum in ſororis natos atque ſororem ipſam, crudeliſſimumque ſcelus, neque Cadmi transformationem, neque Eſculapij Romá vocati mutatam faciem, niſi leui indicio, ac obiter ad non ſimilium, & contrariorum fidem inueniendam. Si enim pietatem cõmendes, facinus Medeæ per ἀντίθεσιν eius naturam illuſtrabit, ſi medicinam & curas alicuius celebres commemores, inque ſermone omnium poni velis, Eſculapium in antidotum abijſſe, ac ſerpentem factum

 non

non abſurdè recitaris. Sed tam comœdiæ, quàm tragœdiæ magis gratæ fuerint, ſi ficta ſint proxima veris, vt paulò pòſt explicabo. Quum igitur iam de materia, numerorum generibus, ac ordine præcipuè ſcenicorum dixerimus: ſequitur vt de partiū quoque numero ſeruando, & quot ſermonibus interſint perſonæ addamus, qua in re Gręcos nunc ſequar, Latinos qui ſpontè diſceſſerunt, & inferiores in theatris relinquam, ſimul vt fabulæ agēdo creuerint, & ad ſummum exceſſerint, patefaciam. Etenim ambæ, vt res alię, apud Gręcos tenues ab ortu, & ſimplices, abſque tanto apparatu introductæ fuêre, chori nudi tantùm, & hi non tam morati, ac prudentes, quàm genijs, & diuûm laudibus accommodati. Mox ita partibus, & perſonis cuncta creuere, vt ad quintum vſque actum euaſerint, nec iam repoſita, niſi eodem comitatu, ac repetita vtraque placere poſſit: quam tamen rationem magis Græci, vt reliquum artificium, quàm Latini, obſeruarunt. Sed nec Deos actores in comœdijs præſertim, ſed ſpectatores conſtitueris, niſi in grauiſſimis, & non ſperatis accidentibus rationes hominum, atque conſilium iniquum, ac impar videas, id'que

idque potiſſimùm in vltima parte fabularum: ne res ſine exitu decenti fuiſſe, atque ſpectatores dubios, ac ſuſpenſos,ad nouam fabulam inuitare videamur. Tum igitur, tanquàm digno vindices nodo, accerſiueris,vt apud Sophoclem in Aiace,Vlyſſi Mineruua reſpondet,in Oreſte Euripidis Apollo: ſed iſtud imprudentibus, qui inter τὰ πράγματα fabularum, καὶ τὰ ἔξω τοῦ πράγματος diſtinguere neſciunt,atque perſonarum, rerumque decorum ignorant, non parùm ſępe vſu venit. Sed nec plures ſimul, quàm tres perſonæ loquantur,ne multitudine res obſcurentur. quòd ſi quarta ſe adiungat, & forte iniicere aliquid neceſſariò velit,vix hiſcat: vt Myſis apud Terentium quarto actu, & Glycerium in tertio. Plautus ab his legibus ſuo iudicio diſceſſit, atque actuum, & perſonarum, numerorumque vel in prologis exiguam duxit rationem: cui laudem propterea non tribuo,minùs ſales, & gratiam in eius ſcriptis vnquàm probaui, ac veteres impenſiùs miratos rideo. Chorus autem velut auctor fabulæ,à ſe ſententias promet, virique ſani, & prudentis, compoſitique partes tuebitur, vt quidquid anteà inſpiciundo hauſtum,& à corona perceptum

 fuit,

fuit, eorum ſententiam, atque ſcopum io-cundè, intermiſſa muſica ad ſubleuandos ſpectatorum, ac reficiendos animos, reliqua vt pariter attenteque accipiant, repetet. Tota nam'que fabula dignitate, atque officio chori vtiliter comprehendi poteſt, & quid ſperandũ ex omni illo ſpectaculo turbato, atque diſtracto debeat, innuere ſedatis, recreatisque animis ſolet. Chori enim occaſione theatrica extitere, quæ olim, vt ſuprà attigi, in Deorum præconio, at que laudibus occupati erant, atque etiam tripudijs, & ſaltationibus feſtis inſeruiebant. Exemplorũ pleni ſunt Greci, ad quos te ablego, qui horum ſtudio, atque gloria incenſus es, Latinis præter comœdias externo quoque more factas, nihil reſtitit, in quibus & ipſis chori diſciplina deeſt, quòd eius auctoritas leuibus, & ſoccis nõ ita conueniat. Et quoniam choris tibia, & omnis illa melopæia iungitur: quomodò è choro reliquæ partes fabularum ſunt profectæ, ita huic deinde parti exhilaranti, & intercinenti plurima temporibus, imperio aucto, luxu, & concurſu celebriori hominũ acceſſere: vt ſimplex nunc vocis tibia minimè ſufficiat, quemadmodum nec ſedilia, ſed thea-

theatris conſtructis, & omnibus ornamentis elatis, tibia buxea, aut è loto, æmulæ tubæ, quę ſua materia non minùs diſcreta, & vocalis, quàm ſi ex orichalco eſſet conflata, opus ſit, niſi muta eſſe omnia velis, & intentos animos, atque aures nunquam remittere. Atque ita è paruis initijs omnia ad ſummum proceſſere, dum genio, ac delicijs nō minùs quàm neceſſarijs indulgemus, dum partes dierum confuſas epulationibus & operis non diſtinctis leuiter exigimus, nec horam cœnę, atque reliquorum vices obſeruamus. Non diſſimiliter cum iſta celebritate, ac pęnè abuſu ludorum, facundia ſubitò augmenta ſumpſit, atque chori admonitiones oraculis ſeſe æquarunt. Ioci verò, & ſales condimentaque rerum per eum qui primus ob hircum vilem certauit, tragœdiis acceſſere, vt grauitas rerum, & perturbationes certo modo interdum Satyrarum leuitate laxentur, nudauitque, & adhibuit ſpectaculis: ſed quia nimium ſunt loquaces, & laſciui, vocibus ſcurrę, ore mimi, geſtibus hiſtriones, moderāda res eſt, ne de tragœdia, quæ luctum & acerbos caſus afferre ſolet, in ridicula abeat. Seruetur igitur ſingulorū decorum, Reges, ac heroës ſibi per omnia

conſtent,etiam ſi parum animi gratia deflexerint,ne in comœdiam,& mimos deſinát, prætextam,& purpuram lacernis,& tunicis ne cõmutẽt: adeoque honeſta, & modeſta ſint cuncta, vt matronis, & alijs feſtis liceat abſque offenſione intereſſe diebus,ne Platonis in damnandis poëtis iudicium integrũ, atque dignum exemplis,& negligentia noſtra videatur comprobatum. Quod ſi puræ ſint Satyræ,ne Latini quidẽ hanc legem ſibi cõſtitui paterẽtur,quin intemperáter morderent, nec gratia vlla maneret huic argumẽto,niſi φιλογέλωτες, atque φιλοσκώμμονες Satyrici ſe teſtarentur. Cæterùm etſi Tragœdiarum ſuus eſt mos, & norma loquẽdi, ſuus conueniẽſque decor: dum tamẽ quiddam à Satyris mutuabor, non prorſus ab illorum ſermone, atque cõſuetudine fugiá, nec vſu recepta,& propria,ſignificantiaque verba Satyrarũ omninò relinquá, nec Tragœdiarũ tamẽ his coniũgendis ſermonẽ penitus negligá, ſed vt mixta vtriuſque natura nonnihil extet, id operá dabo: ná quò ad ortũ, eſt cõmunitas quædá, & ſocietas vtrique nõ per omnia diſſimilis. ex liberalibus enim,ac iocis Æſchylus,ac Phrynichus tragœdias in hác ſeueritatẽ adduxerũt. Porrò

ſi tragœdiá pedeſtri, & attenuato interdū, obſcuroque genere verborū vti videmus: cur nō ſatyraru forma quędá in illa viſatur? ſed ſuū cuique officium, ſuus honor tribuatur, vt inter Sylenū & famulos, Duceſque, ac Bacchū ſit diſcrimē, regionibus, cōditionibus, ætatib⁹, lociſque, ac tēporibus ſeparata ſint omnia, vt ὁμαλία placeat, quę potiora ſunt maximè appareát, leuia, voluptatiſque cauſſa inſerta obiter afficiant. Atque in his quoque, vti ſuprà monui, aliorū exēplis, ac documētis nos muniemus: ſed arte mutua occultabim⁹, ne de medio ſumpta dicátur, ac vel millies ab alijs audita, artificio ita ſubigemus, vt noua exiſtimētur: cū Fauni agreſtes, ac duri adhibebūtur, naturá nę prorſus exuát, nec molli, effœminatoq; modo, nec foréſi tamē, atque theatrico diſſerát, obſcœna omittát, ne boni, atque pij offenſi ſpectacula deinceps vitēt, ac vituperēt. Sed nec vni ſoli ordini, atque certis perſonis ſatisfacere ſtudebimus, nec enim oēs humilia delectant, nec ſi populari ſtudio legumina exhibētur, aut cicer fractū, nuceſque pro theatro venduntur, ijs grauiores perſonæ mouebuntur: atque quibus cenſus, & poteſtas equeſtris eſt, ſi ætate ſint affecta, talibus,

vt

vt leuibus minimè delectabuntur: ſin iuuenes ſint, excelſoque animo, quales Ramnenſes equites, ſuauibus aſſueti, vulgaria, & abiecta, nullaque inſtructa ſuauitate contemnent, nec amplius redibunt. Iam verò comœdijs, ac tragœdijs, vt dixi, iambo pede aptior nullus eſt, ſed præter nomen hodie ferè nihil retinuit, nam in nobilibus, atquē adeò ſcilicet laudatis Ennij, ac Plauti trimetris, rarus apparet, qui & quadratis ineptè vel in prologis ſuis vtitur, & pæne incertus metro eſt, tantoque nomine inferior. Qui verò ſpondeos rectè initio admiſſos, poſteà crebriùs miſcuerunt, & graues ſuas fabulas eſſe cupiunt, quia id vicio communi receptum eſt, venia ſe dignos, tùm quòd alij idē frequentarint, tùm quòd iudex ſit nullus, qui reprehendat, arbitrantur: ſed viciosa nunquam, etiamſi impunè fiant, in virtute ponentur, nec qui laudem non meretur, etiam extra omnem eſt culpá. Itaque meo iudicio ad Græcos nos conferemus, quorū in his ſummum eſt ſtudium, non minor laus, & obſeruatio certior, ac hypotheſibus πεποίηνται ὡρισμέναι. Quid enim ad me, ſi Plauti quidam ſales, ac lepores ſuo guſtatu probarunt, & nos manum ferulæ ſubduxi-

duximus, & exiſtimare ſonora, digitisque metiri numeroſa didicimus, quæque grata ſunt, nõ ignoramus, αἱρεῖν τὸν δάκτυλον: nec viam ingredior communem, ſi ab arte, & ſcopo definito abducat, nec in cuiuſquam pręiudicatam opinionem, iurabo. Nunc quæ paullatim tragœdiæ ſunt addita, & quibus auctoribus, paucis habeto. Theſpis fertur primus è plauſtris, ore fæcibus, cretaque oblito, ſua poëmata recitaſſe, & lineas perſonas excogitaſſe, & per vicos cantando ductaſſe: ea res leuior Æſchylo viſa, perſonarum dignitate, omnique cultu, ſedilibus, certo loco, ſcenisque additis eam excepit, inque poſuit admiratione, orationem grandem, ſublimemque Cothurnum, vt res potentum, ac Regum cõmemorentur aduerſi caſus, & luctus addidit. Conſecuta poſteà eſt ea, quam hodie Veterẽ dicimus, comœdia, non admodum argumento diſſimilis, & orationis maieſtate, ſed quia ſe conuicijs in quoſuis, & impunè effundebat, legibus cohibita deſijt, choroque ſublato, & licentia, quam nunc habemus, comœdia leuis, iocisque apta ſucceſſit, quæ chori dignitatem, atque illam morum, & ſententiarum auctoritatem nondum obtinuit. Atque cũ

Græci ſemper ingenio,& rebus excogitandis antecelluerint,noſtrique eos, vt cynoſuram nautę,ſequuti ſint: ne noua ratione introducta,& à vetuſta digreſſi, odiū publicū ſibi crearent,tamen in quibuſdá ſui, ac proprij ſunt, illorumque veſtigia nūc deſeruere,domeſtica excolunt,nec vllis partibus,ſi contētio ea,& mora corrigendi, expoliēdique tolerabilis apud hos eſſet,Græcis eſſent inferiores: ſed maturitatem celeritate non conſequūtur,ſubitaque editione,nihil perfectum, & induſtria elaboratum affertur. Vos igitur Pompilij, Græcorum mora, & exemplo nihil quod litura nō ſatis coërcuerit, & lima polierit, multorumque annorū recognitio abſoluerit, in lucem proferetis: non enim vos ingenium, non exempla domeſtica ad hanc gloriam deſtituūt. Quod ſi obiiciatis,non cuiuis faciles, & promptas eſſe in carmina vires, naturam ſegniorem, moræ impatientem, quoſdá labore diuturno nihil proficere, plurimos vel otioſos pręſtanti natura excellere, Democritum, niſi demens quis eſſet,habitu neglecto,ſordida vita, & inceſſu non compoſito, ad hoc nomen nunquam aſpiraturum, non poſſum non ridere? Quî enim poëta ſit, qui deſipiat,

ſipiat,qui ſuos mores,& naturam imitandis alienis non accommodet?cuius vicioſos humores ne antycirarum quidem cuncta helleborus vacuarit, & ad temperationem reduxerit?Sed me cohibeo,ne grauiùs pręter inſtitutæ epiſtolæ modum in eos quidquá dicam: qui alieno tempore,ipſe ineptus, & nullus iuuenisq́ue poëta,alios vitupero.Bono tamen animo,rectaq́ue voluntate quidquid reprehẽdo,proficiſcitur, ac viam alijs, vt errores fugiant,monſtrare, velutq́ue intendere digitum conor.Sic Iſocrates cũ dicẽdo ſe à ſuis auditoribus ſuperari animaduerteret,tamen quæ minùs decebant,conuellere non deſiſtebat, ſeq́ue officio cotis, quæ hebes quidem ſit, ſed aptum ferrum exacuat, fungi libenter aiebat. Non ſecus certè prodeſſe cupio, nec vllo in quemquam morbo feror: & quis negarit eos, qui nunquam ſaltarunt, aut pugiles fuerunt, diligenti inſpectione iudicare quæ abſona ſunt, monereq́ue poſſe? qui ingredi ipſe nequeat, aut à via aberrarit, alijs rectum iter, atque incedendi modum præſcribere non licere? Et quia prodeſſe quoque non parum volunt poëtæ, danda opera, ne rebus, ac ſententijs

verba careant, ne inanis ſit, & moleſtus verborum ſtrepitus, res, & philoſophiam ex Platonis monumentis, eiuſque ſenſibus aſſumes, præſertim verò quæ ad mores, cuiusque ordinis dignitatem faciunt: quos ſi rectè perceperis, atque locis ſuis conſtitueris, facilè, verba ſe, numeriq́ue offerent. Quidquid enim fabulis deſcribitur, non ſolum delectationis, ſed etiam erudiendæ vitæ, moribusq́ue formandis accommodatur. Quapropter vt officio tuo ſatisfacias, atque probere, exitus fabulæ aptus, continuusq́ue, & è viſceribus argumenti pendeat, iterum moneo, ſexuum, ætatum, regionum conditionumq́ue rationem expendas, feſtiua modeſtè applices, vt delectando proſint. Atque in hac profeſſione Græci ſunt non minùs, quàm alijs admirabiles, & digni quos intueamur, Ducesq́ue ſequamur, quorum ſi oratio rebus vacua eſſet, tamen illa pronunciatione volubili literarũ, & ſuaui plus, quàm noſtri hodie rebus pleni, ſed auſteri, & immaturi animos delinirent, auresq́ue demererentur. Nihil tale in Latinis deprehẽdas, quorum ſtudium, mẽs tota in auaritia, & inſana cupiditate numorum demerſa eſt, vt ex ſordibus illis nun-

quam

quam ad cultum, & liberalem ſcriptionem extrahi poſſit. Nónne iuuentus iam à primis annis negotijs mercium, rationibus putandis, ad calculos fœnore exigendo, dicatur? Quòd ſi aliquando ad literas diuertũnt, qui ſtatim lucubraturos memoria dignum eos ſperemus? Atqui illi ipſi omnia ſibi ſumma illicò pollicentur, ab aliquot horarum vigilijs, cedro, & cupreſſo digna opera ſomniant exiſtere, inq́ue theſauris deponenda: ſed fallutur, ſeq́ue ipſi ſpe alunt inani: multa enim doctrina, diuturna obſeruatione, plurimo ſtylo, frequenti recognitione, atque iudicio ſubacto, longoq́ue tempore illa veniunt: nec vno ſemeſtri Homerus, & Virgilius ſua effudere, nec Sophocles, aut Euripides ambitione iſta, & ſordido lucro detẽti, præproperaq́ue feſtinatione ſua perfecère, hancq́ue memoriam compararunt. Sit igitur, quem requirimus, poëta ingenio non exiguo, doctrina & vſu pręſtans, vt non facetias, & nugas ſolùm, non inania verba crepet, ſed quibus rudiores proficiant, melioresq́ue abeant, probè calleat, inq́ue actus ingerat. Nam etſi plerunque in delectatione poëtarum occupatio verſetur, tamen ſimul vtiles vt ſint, ſtudent, atque ὑποθήκας

ἠθικὰς præſcribunt, à quibus ſolis rerum ſapientia aliquando petebatur. Fuſa igitur, & per corpus euntia ſuauia, cum grauibus ſint, ſeque non philoſophos, ſed poëtas declarent, ac πρὸς τὸ πιθὰν faciant. Nam vtilia figmentis inuoluta, in genere docent, non vt philoſophi ipſi veritate intenti, non vt hiſtorici ſingularibus occupati exemplis, & facinoribus nudis recitandis. Itaque cùm quid moratè præcipies, breuis eſto, & argutus, vt ad quos pertinebunt παραινέσεις, ſtatim percipiant dociles, memoriaque ſepiant, & ad reliqua audienda, ſine moleſtia expediantur. Fictorum autem ſit ea doctrina, & ratio, vt aſſenſum ſpectatores non prorſus cohibeant: ac ſatius ea fuerit adducere, quæ nunquam exemplum comprobauit, modò fieri poſſint, quàm exempla inſueta, & aliena ab opinione etiam vera cumulare. Peccat igitur, qui Lamiam puerum deuoratum aluo viuum reddidiſſe introducit. Si Medeam Abſyrti membra ſparſiſſe; patri vt eius moram inſequenti inijceret proferas, excludet fidem. Huiuſmodi enim graues, & vtilibus docti ſenes aſpernantur. Iuuenes autem, & celſo animo, vt ingrata,

ta, & remota ab exemplis omnium ſæculorum ſua præſentia non dignantur. Omnibus igitur præferetur, qui ſtudium vtriuſque copulabit, ac ritè oblectando pectus erudiet. Huius certè monumenta omnia loca peruolabunt, omnem emetientur poſteritatem, ſociorumque in deſcribendis exemplis copioſa, lucrique plena fiet opera, diuulgatio ſenibus, & iuuenibus grata, vniuerſumque is poëta applauſum ſuis lucubrationibus adiunget. Sed quia hominum eſt labi, ac decipi, nec ſemper quod cupimus, per naturam, aut artem nanciſci licet, quidam verò etiam longitudine operis feſſi, non omnem reprehenſionem euitarunt: ob leue, ac tenue aliquod vicium, quod maioribus compenſatur, non ego cuiuſquam opus damnarim: nam quis Homerum & ipſum ab omni nota immunem, & exemptum pronunciarit? ſed vnum, atque alterũ erratũ, quod præſertim in perſonarum decoro eſt procliue, tolerandum eſt. Sic qui cythara canunt, nõ ſemper quá volunt, cordá pulſant, nec ad metá ſemper ſagitta directa pertinet, nec librarius eodẽ ſemper modo elegás, & facilis eſt manu, ſed eorũ excuſo erratum,

qui ſeſe ipſi emendant, vel ab alijs moneri patiuntur, nec pugnaces in defendẽdo ſunt vitio. Quòd ſi tamen ſæpius correpti in eadem vitia ſemper relabantur, ſi ab eadẽ perpetuò corda fidicen aberret, non diſſimilis Cherilo fuerit poëtæ: qui nihil vnquam bõni edidit. Et quia idẽ color & artificij ſimilitudo perpetua facilè ſacietatẽ affert: ſemper aliquid reconditum ad varietatem poëma habeat, & ſpe in maiora vocet, oportet. Itaque ſcriptionem temperabis, quędam vt ſubitò atque audiuntur placeant, quædam oculos velut obſcurata ſubterfugiant, deinde latenter animum expenſa ſubeant, non ſecus ac pictorum tabulæ: quarum maiori quædam interuallo, proximè quædam delectant, quędam primo aſpectu mirum in modum nos rapiunt, multa dũ abſcondita parte locantur, conſideratione ſeſe explicant, & attentione niteſcunt, quædam ſemel cõſpecta, alia millies in amore, & fauore manent. Adeò res ardua, & excellens eſt poëtica, totque formas induere ſcriptiones poſſunt: ideoque niſi prudens ſit, & in omnes conditiones ſcriptor cautus diligẽtiamque vndique porrexerit, hoc in genere memoriam, & teſtimonium nullum conſequetur.

Nam

Nam ſi neſcis, mediocre ad hanc laudem nihil admittitur, & facultatem: ſumma & perfecta à poëta deſiderantnr: nec quod in alijs profeſſionibus vſu venit vt etiamſi nõ æque omnes excellant, vtilitate tamen gradus illos boni faciant, idem poëticæ conceditur. Non omnes Caſſelii, non Solones, nõ omnes Cicerones eſſe poſſunt, cauſidici tamen ſunt, & oratores: át in ijs quæ venuſtatis, & gratiæ tantùm cauſſa adducuntur, non neceſſariò, quemadmodũ in bellarijs, & ſecundis menſis, niſi mel omnis amaritudinis expers ſit, niſi Muſica omnibus numeris abſoluta ad aurium delectationem accerſatur, in vitio eſt: ita niſi poëta ſit ſummꝰ, eiusque ἡδύσματα, vt ἐδέσματα fuerint, celebritatem non reperient. Quod ſi inſolentiæ cauſſam prætexas, nequedum confirmati vſus, per id ridiculum fuerit. Cur in arenam ſine præexercitatione te prouehis? cur non opificum regulam tibi proponis, vel cuiuſcunque exercitationis, qui priùs, quàm publicè periculũ faciant, intra parietes quid poſſint, experiuntur, vt cùm in concurſu hominum idem repetendum venerit, coronam reportent? Si equites à Campo Martio, dum certò haſtis, & decurſione ſint

 aſſue-

aſſuefacti, abſtinent, quid de poëtis temerarijs, qui vt aliquid ſomniarunt, aut informarunt, abſoluta putant, iudices? Si dicas non quidem omnibus hanc licentiam patere, ingenuis plus, quàm alijs permitti debere : ego verò cuiuſcunque conditionis poëta ſit, nobilis, ſeruus, diues, an pauper, morum probitate commendatus, ſiue diſſoluta vita, ni labor cùm eruditione, atque ingenio certet, ab his ſtudijs abſtinere velim. Neque tamen deſpondendus, aut contrahendus eſt animus, ſi etiam initio perfecta non cudantur, quid enim ſimul inuentum, ac perfectum fuit? modò iuſto, non adulatorio, ſeuero, non ad gratiam quæſito arbitrio illa reuideantur, & ſub incudem vocentur : vt quæ omnino vitioſa ſunt, expungantur, quæ redundant, caſtigentur, rudia, & auſtera, crudaque ſuauitate mollita polliantur, atque ſucco imbuantur ſuo, ambigua ne multa ſint reprehendantur, quod deeſt addatur, tranſpoſita ſuis reſtituantur locis. Hoc enim pacto in meliorum conſuetudinem ducti, quod optamus, denique comparebit. Odi vt peſtem quorundam coëmptum, & plenum periculi, ac ignominiæ

miniæ iudicium, qui ad gratiam dum omnia probant, in deteriora inducunt, à ludicris, & quæ vix domi ferenda eſſent, ad ſeria, inque patulum orbem dedecoroſè promouent, audaciam cum ignorantia impudenter confirmant. Tu igitur maior fratrum, quæ ſcribis in parentis meas, & iudicis, qualis Metius fuit, manus conferes, multos cohibebis annos, donec lucem videant, ne quod ſemel edideris, ſi maculis ſcateat, ſerò ac turpiter emendare cogaris: vulgata enim non commodè premuntur, ac velut vox miſſa, non facilè reuocantur. Auctor igitur tibi ſum ad Poëticen, facultatem illam nobilem, & ingenio perſonaque dignam iſta tua: à poëtis omnis philoſophia, rerumque cognitio originem traxit, ad omnia tractandi commoditatem præbet, diuina eſt, à terrenis, & caducis ad cæleſtium mentem vocat, & immortale nomen quàm plurimis contulit. Huius beneficio, & memoria viuit nobis Orpheus, qui ad ſocietatem, & mores, homines ferarum more diſperſos, inque ciuitatem conduxit, huius commendatione Amphion nullo temporum decurſu ex animis,

& ore poſteritatis excidet, arcem qui Thebis condidit, ſaxa, ferasq́ue numeris commouit, flexerit,compoſuerit: poëtæ ſoli ſapientes olim habiti, præcepta morum proponebant, eorum verſus ad conuiuia accinebantur,illi fœda,& turpia notabant, con nubia ritè iunxerunt, oppida,& leges conſtituere, omnium gratiam Deorum, ac heroum, Regumq́ue adepti ſunt: Tyrteus animos in prœlia verſibus compulit, iramq́ue ſuſcitabat,oracula,& reſponſa Deorum numeroſe edebantur. Cùm igitur tanta ſit vetuſtas, & laus, tam honorifica iſtius ſtudij mentio, & exempla omnem æternitatem æquent: ne te pudeat, aut pigeat verſuum: quorum præſes,& fautor Apollo eſt, nec, vt aliqui nugabantur, prudentiæ lyra eſt expers,hac citiùs,quàm vlla via Piſonum gentem illuſtraris, eiq́ue maiorem intuleris lucem. Nunquam verò te natura ineptum dixeris, dum ſtudium par ſit voluntati, ac labor. Et ſi enim à ſe natura non parùm pręſtat,abſque tamen arte,ac modo ſemper eſt incerta: vt nec ars abſque ingenio pari, ad hanc ſpem laudis ſuffecerit. Vtrunque igitur concurrat oportet: plus tamen de induſtria, quàm neglecta natura ſperarim.

Sed

Sed hodie omnes ſcriptitant, vtcunque ſcriptitant, modo quis audeat, doctus habetur: ac plus, quam pueri, aut alij ſibi edendo permittunt, nec domi præludunt, ſed vt nata ſunt, matura, perfectaque eſſe contendunt, vt equum conſcendere poſſunt, campeſtribus irruunt armis. Certe qui vel pythijs ludis tibia accinunt, antè, quam ſe Apolline dignos cenſeant, à magiſtris diſcunt, emendari ſe patiuntur: at noſtri verſificatores abſque meliori iudicio proferũt, & venditant ſua. Sed placeant illi ſibi, foueant ſua: neſcio enim quo modo poëtis ſemper magis ſatisfaciũt, quàm alijs ſui fœtus. Illud ego ſcio, qui puer ſtudiorũ metá contingere velit, diu multumque frigere, ac ſudare oportere, non voluptatibus, ac otio diffluere, nullam moram limæ ipſum recuſare debere. Temerarios igitur poëtaſtros vtinam vt ingenij, ita corporis extremus occupet pruritus, qui, quod neſciunt, diſcere cùm nolint, ſe tamen ſcire iactitant, faterique verentur ignorantiam, ac morbum, qui periculum etiam aliis minatur, celant. Sed reperies non paucos, qui huius ſtudij elegátia tenẽtur, ſed inani turgũt gloria diuites: quorum opes fœnore indies plus, quàm

 poëticæ

poëticæ cognitione augentur : qui velut præcones ad ſuas merces, iudices ſuis ſcriptis leues, non graues, non omni exceptione maiores, qui adulatione tenentur, ſibi conquirunt, pro quibus quia ſpondere ſe poſſe ſi opus ſit, norunt, atque à carcere periculum depellere, quoduis præconium à ſeruo pecore, atque teſtimonium exigunt : nec poſteà ſua iſta vana ratione inter veros, & candidos, ſtipendiarios, & liberos diſcernere amicos ſatis poſſunt, id lucri demum fœnerantur. Tu verò mi Pompili, ſiue iam alicui quid donaris, ſiue liberaliter aliquando vt habeas, tecum conſtituiſti, id enim ſplendor familiæ, atque commendatio virtutis erga inferiores omnino poſtulat: caue ab ijs, qui læti quiduis tuorum probant, & ad voluntatem, ac nutus geſtibus quoque totos ſe accommodant, lætis applaudunt, aduerſis collachrymãtur: quò enim minùs reprehendunt, hoc ſuſpectos habere magis debes. Si conſcius tibi es, non eſſe ea optima, & perfecta, quæ dijudicanda tradidiſti: iudices verò nihil cõfixerint, adulari eos neceſſe eſt: nam aut nihil probant diſſimulando, aut omnia: atqui omnia eſſe bona,

ipſe dubitas: quod ſi probant, vtq́ue errore progrediare monent, hoc iniquius nocent, inq́ue fraudem, atque dedecus præcipitant. Quicunque igitur vt præficæ cōductæ & verba, & lachrymas, animosq́ue lætos, aut turbatos alieno imperio locarunt, ac inſeruire cogunt, prorſus ſugito, atque commercio excludito. Prudentiam in hoc Regum imitere, qui antè, quàm ſe, ſuaq́ue integre ſuis familiaribus committant, quibus ſecuros ſe fore arbitrantur, multis poculis illorum ſenſus, ac voluntates abditas, quòd frontis nulla eſt fides, explorant, ſiquidem antiquitas ebrietatem è vitro potantem fingebat, quòd vt per vitrum abſcondita apparent, ita vino tecta, ac remota ſeſe prodant, ideoq́ue Bacchus Lydius, ſeu Lyſius dicebatur. Quapropter non veto liberalitatem in iudicibus, ſed more, atque conſilio Regum, vt perueſtigatis, ac patefactis illorum animis, liberiùs tua illis credas, nec animo ſub vulpe latente circumueniare. Sed nec plebi ſoli ſtudeas, quæ & ipſa leuis, & ad quamuis occaſionem eſt mobilis, ſatiusq́ue eſt vni erudito, aut duobus, quàm ſuffragijs multitudinis acquieſcere: malo auditorem ſo-
lum

lum Platonem, quàm vniuerſam vrbis fecem: ideoque oratio rhetorum ad ſenſum vulgi poteſt accommodari: eique nonnihil probetur, neceſſe eſt: poëmata verò paucorũ poëtarũ iudicio ſubijciũtur: atque vehemẽter probo Quinctilij conſiliũ, & in aliorum cenſendis ſcriptis fidem, qui probitatem rerum, artificij, verborumque, ac vitia liberè indicabat, notabat, nec pigebat iterum, ac tertiò eundem lapſum inducere, vtque ſub incudem reuocares, atque perficeres, iubere. Quòd ſi fortè pertinaciter tueri vitia quis voluiſſet, nullum vltrà verbum addidiſſet, nec opinionem prauam inuidiſſet. Itaque vir probus, amansque tui, & rerum peritus ſit corrector, qui remoti ab arte ſunt, aut gratia iniqua laborant, procul remoueantur: Verſus inertes, & inepti reprehendantur; duri, necdumque maturi, & molles non reticeantur, quæ abſoluta non ſunt, litura inducantur, ſuperuacua recidantur, ne leuia conſectando, nerui in loco deficiant, obſcura declarentur, ambigua, inque plures apta ſenſus, diſtinctè explanentur, quæ prorſus diſplicent, mutentur, donec iudicium comparetur Ariſtarchi, qui in reſtituendis Homeri lucubrationibus,

non

non operæ, non gratiæ parcebat, nihil metu offenſæ diſſimulabat. Neque enim rectè vident, qui negligentiam, & obſequium in nugis, & primo ſtylo ſuo iudicium expoſcunt, nec leuia, & contemnenda ſunt, quorũ vitio progreſſus ſimiles fore proſpicim⁹, & hæc ludicra in ſerijs grauiùs offendẽt, extra parietes in lucem producta turpem, & indelebilem inurent notam. Ea re, velle reprehendere non errantem ſcelus eſt, qui verò admonitiones non fert, ineptum, laudabile non agnoſcentem in viam dirigere, ſine cauſſa vituperare malitioſum. Non ſecus enim prauum, & morboſum, ſuique amantem poëtam fugito & rideas, atque pueri ſolent eos, qui contagine aliqua, & vicio ſiue mentis, ſiue corporis, & intercute ſerpente laborant. Nam inſani moleſtiſſimè ſua fouent, nec admoniti ſapere ſtudent, ſed ſua extollentes; & paſſim velut pleno ructantes ſtomacho, recitant, ambitione intemperata ſumma captantes, vt accipitres, cùm vix cuculi ſint, aut ὦτιδες, quæ ante pedes ſunt, minimè vident, atque vt Thales in puteum, aut Empedocles in cauernas ætnæ præcipites, & immortali fama correpti, pernicioſè ferũtur: quos etiãſi

libe-

liberare velis, beneficium non putant, nec aliter, atque ſi occidiſſes, ſalutem accipiunt. Sed pereant, quando perire inſanis libet. Hac dementia fit, & ſpe inani, vt ſua cuiuis legenda, & audienda obtrudant. vt neſcias furore correpti, an ſcelere polluti ad iſtá inſaniam fundendi, recitandique ad nauſeam verſus, velut ad ſacrilegij, aut inceſtus pœnas vocati, ruant: ſiquidem colligere ſe, & ad ſanitatem reduci non ſuſtinent. Adeò, Pompilij, grauis eſt vanæ ambitionis morbus, adeò immortalitatis prępoſtera cupiditas rabioſa, & impudēs cæcaque fit, nec minùs quàm vrſus clathros perfringere incluſi nituntur, nec obtundere bonorum aures ceſſant, donec vt hirundo, quæ niſi plena cutim, ſic hi niſi æquè te demētarint, & moleſtia implerint, non relinquunt: ſed perpetuò ſemel nactum auditorem ipſi *κίχλης κωφώτεροι* exagitant. Atque hæc in genere, ac breuiter vobis poëticæ ſtudioſis præſcripta ad imitandum, notata ad fugiendum, per epiſtolam ſufficiant.

Τέλος.

IN ALIQVOT POETICÆ HORATIANÆ LOCA παρεκβολαὶ, SIVE COMMENTARIOLVM SAMBVCI.

HORATIVS AD PISONES, NON Calpurnios Lucani coëuos ſcribẽs, ſed qui nomen ipſum, non vt illi cognomen, vt Lucanus vult, à Cn. Piſone tulerunt, Auguſtique fuere tempore, abuſus quorundam reprehendere hac epiſtola (cui ab argumento, iam à Quinctiliano altera ἐπιγραφὴ acceſſit) & inanem fabularum ſcriptionem potiùs, quàm vt ςοιχειότης artem inſtituere voluit: iudicii enim, & exercitati ſunt, quæ hîc notantur. Sed dum quid fieri velit, atque acerbiùs requirit, γενικῶς, & obiter τὸ δι' ὅτι addit: ne ſatyram prorſus ſcripſiſſe videretur, aut ideam tantùm, ad quam aſpirare nemo auſit: τὸ γὰρ ἐπιςητὸν πρότερον τῆς ἐπιςήμης, & puerile eſt omnia particularia enumerare, vt eſt in primo ad Theod. Poterat tamen planiùs quędã exponere, atque illuſtrare exemplis, niſi πολυμαθημοσύνην perpetua, ingenitaque mordacitate cumulare voluiſſet. Cæterùm iuuenis hác epiſtolam, ſeu ſatyram ſcripſit, quod innuit, dum pur-

purgari bilem vernam ait, vt ego intelligo. Ariſtotelea ſunt tamẽ, ac ideò interim obſcuriora. Dum enim ab illo de ratione fabularum doctrinam quidam exemplis repetunt, fit vt plurimùm labantur. Nam diſcrepant à Græcis Latini, neque regulis, quas hîc obiter annotauit Flaccus, tenetur: & quotuſquiſque eſt hodie qui Sophoclẽ, aut Euripedem, aut Æſchylum dies noctesque terendo, ſuo artificio eos metiatur, & quibus tantam hi laudem olim conſecuti ſunt, modò agnoſcant: vt præter vocum Grçcarum poteſtatem, nihil pænè diuturna lectione auferamus. Quod autẽ de ordine quidam harum prçceptionum conqueruntur, miror: nónne ſtatim ab initio quod præcipuum eſt, atque generatim, vt διαιρετικὸς libellus potiùs, quàm ἐκθετικὸς ſit, proponit, de inuentione, ordine, atque elocutione, hęcque ipſa deinde variè inculcat? licèt nõ eadem ratione, neque loco, τὸ γὰρ καλῶς, καὶ ἀναγκαίως λέγον, δὶς καὶ τρία δεῖ ἐπανοπλεῖν τοῦ λόγου: nec de prçceptis aliquid tradentibus iſtud vitio eſt vertendum, neque enim ταυτολογίαι ſunt illæ ἔπανα καὶ νώσεις, nec idem cum expolitionibus Oratorum ſuperfluis. Atque Ariſtotelem & ipſum hono-

nomine in poëtica ſua accuſaris. ſed iudicium cohibeto, ac diligentiùs vbi rem excuſſeris, longè vtrunque ab hac nota, negligentiaque abfuiſſe confitebere. Vtinam alter de poëtica liber Ariſtotelis ad nos perueniſſet, multorum nobis dubitationem dilueret, viamque ad veterum poëtarum exempla, præcipuè comœdiarum, ac leporum, imitationemque aperiret: nunc quidquid ſupereſt, boni conſulamus, quando hæc conditio alijs quoque multis fatalis & obſcura acciderit. De ortu verò, & progreſſibus Poëticæ alij plura: hoc tantùm addo, vocem abſque modis, ac numeris, ἄσημον eſſe, atque canendi rationes cũ natura congruere, exempla vetuſta, & oracula præbuiſſe ortũ, deniquè quiduis imitandi vim ingenitam. Habent enim numeri peculiare, & myſticum quiddam, vt Demoſthenes iuraturus in numeros eruperit, ac Deorum ſacra, & ludi gratia rythmis acceperint, maximæ quæquè res diuinæ, ac humanæ ἐμμέτρῳ λόγῳ ſint tractatæ, eoque loco habita fuerit, vt ſoli poëtæ ſapientes ſint habiti, vt Strabo in primo docet, atque Ariſtoteles diuinos non negarit, Plato verò, & alij παῖδας etiam Deorum, καὶ κατόχους ἐκ

μουσῶν vocarint. Theocritus illorum ὄρνιθας. Quidquid enim grauiter, & iocũdè pronũciare velis, numerorum id ſubſidio faciliùs conſequere. Ad mores verò, pectuſque formandum longè ſolutæ orationi præferendi ſunt, excolẽdæ quoque huius facultatis nobis ſtudium aliena imitandi omnibus ingenerata ratio attulit. Plato autem à ſua ciuitate poëtas non caſtos, & bonos, non quorũ ſinguli verſus ſingula teſtimonia, & oracula ſunt, excludebat: ſed meretriculas, qui ad illecebras, & corporis mollitiem, prauaque exempla inuitabant, quales exiſtimauit fortè Eratoſthenes, quales multi Latini, qualis Anacreon, & ſimiles. Cæteroqui nemini dubium, beneficio numerorum, & commoditate inſtillari animis rudiũ vitę honeſta pręcepta, & exemplis theatricis declarari: quæ fictorum ſocietate irrepunt in animos auditorum, vt eſt in Nicocle Iſocrat. Ad lyrã verò canere geſta heroũ quis profuiſſe negarit, Tyrteique numeros quibuſuis tubis, ac ſignis editis maiorem in prœlium animum ſuppeditaſſe? Iam quid poëtica differat ab oratoria, & hiſtorijs, breuiter collige. Oratori propoſita eſt victoria, ideò ita narrat, cunctaque diſponit, vt fidem reo adimat, iudicum

cum ſibi autoritatem, aſſenſumque adiungat, propterea neceſſarijs, & vero ſimilibus quoque ſua inſtruit, minatur perniciem aduerſario, ſibi cauſam integram pollicetur. Hiſtoricus res ἁπλῶς vti geſtæ ſunt, ordineque narrat, minimè alios imitatur, affectus cohibet, iudiciũque lectori, vſibusque permittit, vt τὸ ὅτι, nõ ὡς, καὶ πῶς doceat. Nam ſi turpe eſt epicos à ſe narrare, & non ſtatim ad θέσιν, ſi quid è ſua perſona locuti ſunt, conuertere: quantò minùs eorum hiſtoriæ bonis viris probari poſſunt, qui vt fabulam ſcribẽtes, vel chorus, ipſi ſe actores, & ſpectatores conſtituunt? Polybius reprehẽdit ornatas, & elegantes quibuſdam tributas conciones, quòd poëtarum ſit in omnibus non quid res ſint, ſed vt eſſe in ſummo debeant, informare, quod de fortitudine, de prudentia ex Homero conſtat: quid de noſtris, bone Deus, adulatoribus, & conductis mercede hiſtoricis, naturaque imbecillis, ac morboſis pronunciaret? Poëtarum autem, in primis epicorũ eſt non modò quid, ſed quẽadmodum, quidque geri, ac eſſe debeat, omni apparatu, & cũ admiratione ſubijcere: atque alius horum eſt, alius hiſtoricorum ſcopus. hi ſingularia conſectantur cum adiun-

ctis circunſtantibusq́ue res ipſas, & ὁριζομένοις, illi vniuerſa, & communia, hi ſimplicia, variaq́ue, illi γενικώτερα, & multa quoque, ἀλλ' ἑνὸς τέλους καὶ σκόπου, hoc eſt laudis, ac famæ quam ſacram petunt, vt Ouidius vult. Neque enim poëtas metra ab alijs diſiungunt, ſed modus tractandi (ac ita Cicero in Bruto intelligendus, dum eos verſu ab oratoribus differre cenſet) Empedocles nihil cum Homero præter numeros habere commune potuit, atque epicos ψιλῷ quoque λόγῳ vſos Ariſtoteles meminit, vbi ψιλὸν longum, productumq́ue opus malo, quàm liberam à numeris ſcriptionem accipere, vt (τὸ ἢ μέτρον) modum quendam ſignificet. Si Herodoti Muſas in metra cogas, nihil minùs, quàm poëma, ſi nihil addas, fuerit. Obſeruandum tamen tragœdias plus affines hiſtoricis eſſe, quàm comœdias, iccirco tragœdiæ reliquis argumentis præferuntur: quòd nõ ita varias miſcent fabulas, minuſq́ue à cõſilio ſuo aberrent: ideoque Homerus in prolixo ſuo, varioq́ue argumẽto quibuſdam dormitare viſus eſt. Quare hiſtoriarum auctori prouidendum, ne poëſim ſcribat, poëtæ ne hiſtoriam nudè, & abſquè gratia texat, diligenter cauendum: narrator

ille,

ille, hic ἠθοποιὸς, ille vt philoſophorum materia ἄποιος, hic vt res in φορᾷ ſint καὶ κινήσει, procuret. Orator intermedius quaſi, & horum eſt arbiter, cui in expoſitione rerum geſtarum non longè à ſchola hiſtoricorum diſcedendum eſt, & quoad confirmationem cauſſæ tantùm eſt ſuus, & artificioſus, in hac ſeſe oſtentat, à poëtis affectus, ornatusque non paucos aſſumit, vt ijs verbis propè ſit par, vt Craſſus iudicat: licèt idem aliter Metell⁹ Numidic⁹ cēſor grauis, aliterque Rhetor ſuaſiſſet, vt de matrimonio accidit. Sed narrationum non ſit artifex, vt nec hiſtoricus: neuter enim cauſſa eſt rerum geſtarū, etſi ille λέξει magis ἐναγωνίῳ, hic διαλελυμένῃ vtatur. poëtarum oratio culta eſt, ideò Philoſtratus ait Thyaneū non vſum λόγων ἰδέᾳ διθυραμβώδει, ἢ φλεγμαινούσῃ ποιητικοῖς ὀνόμασι, eſtque omnino φιλοσοφώτερον τι καὶ σπουδαιότερον τῆς ἱστορίας ἡ ποίησις. Philoſophi vt legiſlatores, communia, nec de præſentibus, aut ſingulis, ſed futuris tractant, hiſtorici autem tanquam tragœdi ſunt, de præteritis & ſingulis velut prætores, & cauſſarum iudices, ac vt iudices ad Legiſlatores, ita hiſtoria ſe ad philoſophiam habet: ſed breuiùs, quæ dicta ſunt, comprehendamus. Orator

tor ſit ἐγκατάσκευος, poëta διάσκευος, temporum, factorumq́ue narrator ἁπλῶς καὶ ὁ τοῦ προβλήματος αὐτὸ τὸ πρᾶγμα διηγούμενος. Huius igitur libelli ſcopus eſt generatim quid in vniuerſo poëmate, quoad inuentionem, partes, ordinemq́ue, atque τὴν ἑρμήνειαν pertinet indicare, vitioſa quæ tum comparebant notare, præſertim in exhibitione fabularum, quarum id temporis frequentiſſimus fuit vſus, ac nonnihil à via recta deflexus. Partes ſeu canones nouem colliguntur, ſed ad tria rediguntur oratorum officia, vel ἐν οἷς, καὶ ἃ, καὶ ὡς, etſi hoc poſtremũ leuiùs attigit. Hæc nos dialogiſmo quodam percurremus, nec more quorundam, in autoritatibus & vniuerſa bibliotheca magis tranſcribenda, quàm ingenio, atque intelligentia ſuppeditanda, rudioribus inſeruiemus, quæ fabuloſa, & exempla interim adducuntur, vel grammatica, ex plenis aliorũ commentariis accerſentur: ac primũ obiter de ſymbolo poëtices, atque generibus quiddam præponam, ne contextum illa, & ſermonem noſtrum morentur, nec ſum δυσμετάδοτος.

Philometer, & Exegeta.

Quid, quæſo, eſt poëta, videtur enim πολύσημος

λύσημος eſſe vox,& ad fictores, pictoresq́ue, ſi τὸ ποιεῖν conſideres,non minùs pertinere. *Exeg.* Poëta, & poëtria à numeris faciendis dicuntur, ἀπὸ τοῦ πεποίηται, quod efficitur poëma eſt,ratio verò operis,καὶ αὐτὴ ἡ ἰδέα τῆς πραγματείας poëſis,ipſa factio,vt ita dicam: quæ ad eam pertinent ποιητικὰ dicuntur.Rectè igitur Horatius quò ad opus, & materiã poëma vocat, vbi verò de ποιότητι eius, atque conditionibus meminit, vt picturam ipſam poëſim fore ait.*Philom.* Non'ne idem cum metris eſt poëtica? *Exeg.* Non per omnia idem, ſiquidem rationem numerorum illa magis denotant, ideoq́ue Phalereus vt μέτρον pedibus, ac ſyllabis,ita πεζὸν λόγον inciſis,membris, & ambitu diſtingui cenſuit. Rhythmus generalius quiddam eſt: nam ἔρρυθμος perpetua oratio,& numeris non omnino concluſa, ſed μετροειδὴς eſſe poteſt καὶ ἔμμετρος,vt hoc numerũ, illud numeroſum ſignificet: & videmus hiſtorias quorundã pari numero ſyllabarum lineis factis,aut vltimis tantùm ſimilibus, velut Cyclicorum verſuum, aut ipſius Eccho ſcriptas, vt Tzezis, & vulgatæ linguæ præcipuè hac laude, & facilitate nunc excellunt. Melos adhuc latiùs patet,& ad quæſitas muſicæ delecta-

tiones, qualis κιθαριστικὴ, αὐλητικὴ, & oĩs melopœa eſt: eaq; de cauſſa Plato in 3. Politicorum, orationis, harmoniæ atque rythmi eſſe melos voluit. Quinctilianus in ſtructura numerorum τὸν ῥυθμὸν, ipſius autē orationis dimenſionem metrum intelligit. Mathematici ſub geometrices ſpecie κανονικὴν conſtituunt, cuius partes ſunt ῥυθμὸς longior vocis menſura, μέλος altior, μετρικὴν autem lōgiorum, breuium, & mediocrium ſyllabarū coniunctionem, modumque concinnum cum principijs geometriæ, quam Marcus Varro negligi apud Gelliū in decimoſexto queritur. *Philom.* Igitur tam pictores, quàm qui ſtatuas, ſignaque factitant, poëtas dicemus? *Exeg.* Quid prohibet ſi notionem, ſeu originationem, vt eſt in ſympoſio quoque Platonis, inſpicias: magis tamen poëtæ conuenit, non parum tamen ſæpè vt γραφεὺς vtrunque complectitur. Ac ſanè vt vates ingenijs, atque cæleſti, diuinoque mouentur ſpiritu, ita Cleonem, Apellem, Lyſippum, & alios inueniēdo, atque exornādis rebus præſtare conuenit. Nec abs re Thebani artificibus, & figulis mulctam irrogabant, niſi rerum imagines, quoad per artem fieri poſſet, exprimerent, vt Ælianus refert: hucque

reſpe-

reſpexit Ariſtot. in poëtica, dum ipſum exemplar, & formam rerum abſolutam effingendam poëtis præcipit: quod colores pictoribus, hoc poëtis ſchemata affectuū, atque epitheſes ſubminiſtrant. Amabili igitur inſania, ac entheſmate ſint præditi neceſſe eſt: vterque enim τὸ σύνολον imitator eſt, atque vtile cum ſuauibus copulat, quorum illud elegantis doctrinæ, hoc leporis, atque decentis eſt gratiæ, & recreantis animi. *Philom.* Eſt'ne eadem omnium poetarum materia, & ratio? non enim opinor idem quod alijs fictoribus accidit, vt materiæ, ſeu ſubiecti in quod agunt, ratione ferè diſcrepēt, vt hic Cleon ſit, ille Praxiteles, etiā ipſis vſu venire? *Exeg.* Non equidem, ac licet hæc prolixè apud alios diſtincta reperias, & explanata: tamen vt aditum velut ad eos tibi communiā, ac memoria inſeruiam, quæ γενικώτερα ſunt, eorum ſummam repetam. Triplex igitur eſt differentia, ſeu ratio, formaq́ue poëmatum. Nam aut perpetuò narrāt aliena, non ſecus ac hiſtorici, & δεικτικὸν illud oratorum genus ad cognitionem iocundam pertinēs, ἢ τοὺς ὑποθήκους, vt Theognis, vt Metamorphoſes Ouidij, docendi enim gratia fiunt: aut illa eadem ὑποθετικῶς vulgò,

gò,fabuliſque repreſentant,& ſermonibus, vt ſatyræ, comœdiæ, vt tragœdiæ, totaque mimica,& hypocriticæ,ſuntque ſatyrę mediæ inter dramata ſeria, atque obiter tragicis,ſed non in medio actu, & grauibus addi debent, etiamſi olim choris iunctæ magna parte fuerint. Sed conſule Valerium de inſtitutis antiquis, vbi ludicrá artem ad ſatyras,ab his fabularum fluxiſſe argumẽta qua ſi ſeriùs ait: aut ex vtroque mixtum quiddá componitur,vt Homeri poëmata, & Virgilij: licèt Ilias ſimplicior ſit, affectiorque, Odyſſea lenior,& morata magis, epicos, & epopœios hos appellant. Qui horũ omniũ ceu miniſtri ſunt alieniſque vtuntur,nec ita res in mente, quá ore verba volutant, ῥαψῳδοὶ de quibus eſt in Ione, & ἀναγνῶσαι dicantur. *Philom.* Nónne plures ſunt differẽtiæ? *Exeg.* Sunt quidẽ, ſed ad hæc tria reuocantur διήγησιν, δρᾶμα, καὶ ἐποποιΐαν. Sed heroicum meo iudício, & odæ præcipua ſunt, & nobiliora: quamuis ſcenica illa, & theatrica rudioribus ad vitam, pectuſque erudiendum plus ſatisfaciunt, ideoque Ariſtoteles tragicos, ne à libri ſui argumento deflecteret,cæteris prætulit. Fabulis tamen,& ludis omnibus epici,ac lyrici materiam, & oc

caſio-

caſionem ſubiecere,vt Plato in decimo Polit. etiam de Odyſſea, & Iliade memoriæ prodidit. Vetuſtiorem tamen dramatis, & fabulis puto hiſtoriam,&, niſi fallor, ex bucolicis comœdia ortũ duxit,vt ab agris in vicos introducta ſit, mox è comœdia extitere tragœdię, quales Æſchyli,ciuileſque ac perturbatæ rerum imagines: etſi Ariſtoteles cum Seruio grammatico liberalibus prodijſſe arbitratur,fortaſſe id quidem,quia ſubito auctę partibus, modiſque ſint,eaque re Horatius veterem comœdiam ſucceſſiſſe quoque contendit: ſed Plutarchus in ſympoſio meminit vitio datum Æſchylo, ac Phrynicho,quòd tragœdiam ad lugubria,& funeſta,fabulaſque tranſportarint,quòd Baccho cum his nihil commune ſit, atque Hermogenes in methodo grauis orationis, aptæque, Homerum tragicè loqui præmonſtraſſe ait,& Demoſthenem ab eo exempla ſumpſiſſe. Epici varia miſcent, ac pluribus intenti ſunt,tragici vnam præcipuè rem,finemque intuentur. Dramata epiſodia habent breuia, ne facilè reprehendantur, longa ſunt in epopœïs, quare iudicium in illis periculoſum, & pronum ad vituperãdum, vt in vniuerſalibus,ac latè fuſis: lyrici epicis

pro-

B.BLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

propiores, ac dramatis gratiores. Vt igitur τῷ ὑποκειμένῳ ſingulæ differunt ſpecies, ita partibus, elocutione, adeoq́ue numeris: verba enim, ac metra ſimulacra ſunt rerum, & velut habitus. Heroici ferè barbariſmum, vt Ariſtoteles vocat, admittunt, & λογοειδέαν quandam, dialectorumq́ue communitatẽ, κοινισμὸν. Iãbici translatis delectantur, licèt familiaribus cõmodiores ſint, numeroq́ue rebus alternis adeò proprij, vt ſæpe dubitatum ſit, num poëtarum numero eſſent recipiendi, vt idem Horatius in quadam meminit ſatyra, & Ariſtot. tertio Rethoricorũ. De dithyrambis qui compoſitis, ac multarum ſyllabarum vocibus in Bacchanalibus delectabantur, & primi occaſionem rythmis dedere, alijsq́ue pleniùs grammatici diſputant, quos domi conſules. *Philom.* Niſi memoria me deſtituit, videris aliquando dixiſſe comœdiam tragicis, prout Ariſtoteles, fuiſſe poſteriorem. *Exeg.* Id quidem Ariſtoteles ſignificat, ſed excultam ſeriùs, & ab Archonte politam crediderim. Cæterùm omnium fabularum, atque imitationis fictor Epicharmus, ac Formis Siculi auctores feruntur, vt paſtorum quoque ſermones illinc prodierunt. Res verò ad ſcenas pertinẽ-

tes non parum ὑπόκρισις, καὶ μίμησις auxere, in eiſque actores,ac perſonæ tantum laudis, quantum ipſi ſcriptores merentur, atque oratores in ſuis cauſſis agendis, atque pronunciandis. Ad hypocriticen igitur totus ferè hic libellus, quemadmodum & Ariſtotelis reliquus inſeruit. Nihil tamen adeò proprium cuiuſquam,& ſingulare eſt,quin alienos in fines cũ neceſſitate,ac venia interim digrediatur. Nam ſi oratoribus qui ſoluti, & liberiores ſunt prolixitate, id licet, cur non poëtis? modo tamen atque arte veteri,exemploque meliorum: non vt hodie mõſtroſi tragicomici,comicotragici,& alij, qui ſine decoro quiduis miſcent,modò ſyllabis tot pede ſtantis in vno verſus ſcripti ſibi conſtent.Sed Gorgiam in reprehẽſionẽ dedicatio tragœdiæ adduxerat, quòd non Baccho,ſed Marti qui ἄοινος eſt,quid hodie qui ludicris ſacra proferũt,merẽtur? *Philom.* Sed priuſquàm ad verba Horatij veniamus, dic,quæſo,quare Muſas, & numina quædá ſua poëtæ colát? *Exeg.* Etſi ad rem iſtud parum habet momenti, obſequar tamen, atque ſimul in fide repetam, quod proprium officium, quis ſcopus ob omnibus alijs poëtam ſeparet: nam paucos video rem ſatis tenere,

nere,atque occaſio huiuſce rei nō inepta incidit explicāda. Plutar. prę alijs mihi ſatisfacit,licèt alij quatuor, ſeptē alij, nominibuſque alijs,& officiorū,inuētionūque differētia eas recēſeāt,nec Latinis cū Gręcis cōuenit,de quibus Piërius in ſuis hieroplyphicis: qui Mnemoſyne nouē Muſas editas,exiſtimat, quidquid Clemens in ſtromatibus de ſuis ancillis,vt etiam de Hercule aliter, quā alij tradat(nec enim eſt nouum, vt in fabulis poëtæ diſſideant, vt de Medea Pauſanias in Corinthiacis, &c.) atque numerū illarum literis nomen matris efficientium con uenire ait. Muſarum quippe etymon ſiue à *μῶ*,ſiue à *μυέω* ſit, teſte quoque Euſebio, vtrūque aptū rei ſignificatæ,cōueniēſque fuerit,vt alterū ad inuētionis acumē,ac varietatē, ad formā alterū, vt myſtica ſint, ac lēmatica,idque Horat. ſentit,dū nō pulchra,ſed quoque dulcia poëmata laudat,atque obſcurata feſtiuis,vt à mente relicti nonnihil poëtæ, amabiliterque *ἐκστατικοὶ* videantur. Mater autē & cuſtos tempus, ac memoria eſt, vt artium quarumlibet, atque ſapientiæ. *Philom*. Quare Herodotus ſuis eorum nomina libris indidit? *Exeg*. Vtcūque alij eius ſcripta propugnent, pater eſt fabularum,

nec malè Plutarchus, aut morbo iudicauit: non enim tanta varietas rerum, atque tractationis eſt forma ſeparata, ut Muſis diſcriminari ſingulis libri debuerint, & plenus eſt nugis, ſi tamen quædam ab omni memoria remota, atque vetuſtate ſimilitudinem veri non habentia, pro talibus interpretáda ſunt. Et ſi ratio alia facti adduci poſſit, cum data opera fictis cooperuiſſe, atque coniunxiſſe, quæ de ſacris acceperat hiſtorijs, vt multa Socrates diſſimulauit, ac tectè, inuoluteque alienis miſcuit, ne ſapere nimiùm, ac de ſuis ſenſibus præbere nouæ religionis ſuſpicionem videretur, & optimè ſibi illis verbis præcauit, πείθεσθαι γε μὴν οὐ παντάπασιν ὀφείλω, καί μοι τοῦτο τὸ ἔπος ἐχέτω εἰς πάντα τὸν λόγον. Muſarum autem proprietates Pomponius Muſa numis argenteis, earumq́ue habitus, mores exprimere voluit, quod & Virgilij oſtendit epigramma. *Philom.* Sed hæc hactenus, alterum erat de proprio, nec multis cognito poëtæ munere, ac fine: quem vt aperias, vehemẽter oro: turpe enim cẽſeo alicui ſe ſtudio totũ dedicare, cuius naturá ignoremus, & quid præſtiterim, ſi quod cõſilium profeſſioni meæ conſtitutum ſit, temerè negligam? *Exeg.* Neſcio an ſingularis

aliqua,

aliqua, perpetuaque poetæ materia contribui poſſit, niſi quæ niteſcere, atque ornatu inteſtino ſplendeſcere queat. Nam etſi eandem alij rem deſcribendam ſuſcipiunt, poëta inquirit tamen, ac perueſtigat nō modò quæ res ea ſit, ſed quæ prætereà cunque addi poſſunt, quæcunque affinia, & ſocietate aliqua conſpirantia, vel diſſidentia cum illa ſint, addit. Ac etſi pictor in multis ſocius, ac penè par eſt: tamen plerunque ſingularia, & qualis res eſt, proxime imitatur: ille verò ideam quandam ſuæ materiæ conceptæ ſequitur, generatimq́ue tractat, idq́ue per comparationes, digreſſiones, tranſlata, ficta. Verbi gratia, ſi quæ Cato, aut Varro de re ruſtica literis prodiderunt, cum Virgilio committantur & alijs, non quid res, ſed quales perfectæ ſint, aut eſſe poſſint, vel debeant per formas, figurasq́ue omnes adijciunt, vt de apum natura, de ruſtica vita. Si de roſa Dioſcorides doceat, idemq́ue poëta repetat, non quid roſa ſit ſolùm, & cuius naturę, ſed plurima alia in omnes cogitationes, ſimilitudines, contraria adducerent. Amor quid ſit philoſophi definiunt, confer Didonis, aut Penelopes, aliorumq́ue ignes, aut quorundam Italorum luſus, quid poëtæ facul-

facultas exigat, erudiere,'& τὸ δόξαν finem eius cũ Luciano videbis. Atque hoc ipſum eſt, quod Flaccus noſter exemplar vitæ reſpicere, morumque iubet, hoc eſt in moribus, atque decoro perſonis excellentibus accommodandis ſumma conſideranda, vt Achilli ἀνδρίαν, Neſtori ἀγχίνοιαν, καὶ ῥητορείαν appingas, atque Ariſtoteles in poetica idem pictorum conſuetudine faciendum poëtis cenſet, qui τὴν οἰκείαν μορφὴν καλλίω γράφουσι· pulchritudo igitur, ac venuſtas pręcipua ſunt in poëtarum monimentis quibuſuis σημείοις πεποιημένοις, καὶ ἐσχηματισμένοις λόγοις. *Philom.* Sed qui pulchra dicantur, & laudabilia, quæ falſa ſunt, aut nunquam fieri poſſint, atque imitatione tantùm artifici, ac non neceſſaria tot modis expoliuntur? *Exeg.* Non omnino falſa ſunt quæ prudentiores ſcribunt, ſed ita traduntur, vt fieri poſſe, ac talia fuiſſe gratiſſime credantur: alioqui numeris nullis opus eſſet, ſed ἁπλῶς rem ſuo modo, naturaque proponerent, nec ab oratione diſcederent libera. Quocirca de Medeæ crudeli facinore, de Didone, Vlyſſe, de Gygantum bello non vt prorſus nulla, aut falſa ſcribunt, ſed apta ad fidem, vt doctrina ſimul vitam inſtruat, animosq;

iocundis laxet, admiratione operis teneat, inque obſeruātiā artis impellat, decuſque cōſtitutū. Atque hinc patet nec ſales, quos Græci quoque ἅλος Plutarcho teſte vocant, nec iocos abſque poëtis, & gratiam rerum conſiſtere poſſe, ac oſtendi poteſt, gentes quæ poëtis caruerunt, in obſcuritate, ac nuda rerum facie, non alijs ornamentis verſari, carere infinitis alijs, quæ ab artificio proficiſcuntur, bonis, atque oblectationibus, duriores ad amicitias, & fœdera, ſegniores ad lenitatem, tardos ad credendum, alienos à ludicris, pertinaces in ſerijs, & pænè reſtare barbaros. Res enim intelligūtur propriè cùm ſimul τὸ ἡδὺ, ϗ τὸ εὔχαρι earum concurrit, quo enim à ruri perpetuò degentibus, & agreſtibus homines literis, & humanitate exculti differrent? καθολικὰ igitur poëtæ adhibent, vt ſolitaria in vniuerſum innoteſcant. Philoſophi de virtutibus, & vitijs rerumque cauſſis, ortu, progreſſibus, occaſu duobus verbis monent, hiſtorici eadē priuatim, exemplisque recitant. delige poëtam, qui eadem complexus eſt, non modò quæ in genere philoſophus, ſed longè ampliora, & ab vltimo repetita ortu, & cauſſa, non ſingularia, ſed longè illis angustiora, in-

terie-

tericta,cõtraria ſimilia, paria adhibebit,vt res tanquam penicillo in oculos incurrat, operam, & induſtriam impendit. *Philom.* Si delectationi tantùm ſatisfaciunt,non neceſſarium eius facultatis eſt ſtudium, quomodò nec eorum, quæ in ſecunda menſa apponuntur, aut non ſtomachi gratia, ſed animorum, auriumque reficiendarum accerſuntur, quod Horatius rectè monet, eamque ob rem ſumma, & exquiſitiſſima talia eſſe vult. *Exeg.* Præcipuum quidem eſt admiratio admirabilis: verũtamẽ ea ratione plurimũ etiã proſunt. quis enim quẽlibet pannũ etiã filo non molli,nec bene texto pluuias, & iniurias pelli temporum nõ poſſe dubitat? ſi tamẽ ſplẽdida eadẽ ſit veſtis,coloribus,& auro prætexta, ſi precioſa, idẽque præſtet beneficiũ,quis nõ rudibus tegumẽtis nõ-prętulerit? Si pictor aliquot primis lineis humanam formã denotet,quiuis ab alijs animãtibus eã figurã diſtinguet, ſed tamẽ ſi coloribus,& arte perficiatur μορφὴ, non οἰκεία modò,ſed ſuauis, & velut nomine prædito definietur, ac laudẽ artificis inueniet. Quiuis non relictus à diuinis,omnia Deo plena eſſe confitetur,philoſophi etiam mundum eſſe animatum non negant: ſi tamen

men Virgilij verſus illos, principio cęlú, &c. legas, longè plura didiceris. Nec ſanè philoſophis opus fuiſſet, ſi Empedoclis carmen ſuffeciſſet, nec Lucretij extaret diuinú, ac illuſtre ſcriptum, quo, ad rerum cauſſas, & proprietatem veteris elegantiæ, nemo acceſſit proprius. *Philom.* Quod tu Platonem libidinoſos tantùm, & leues, argumentis ad laſciuias, & corporis mollitiem aſſuefacientes à ſua cómunitate repuliſſe dixiſti, legiſſe mihi alias quoque cauſſas videor. *Exeg.* falsò dixit Plato neſcire poëtas quid ſcribát, eò quod nó ſuis nitantur, ſed ſimilitudine, ac imitatione: res enim non imitatione ſola nouerunt, ſed æquè ac philoſophi tenere poſſunt: cur enim metri ſtudium à rerum intelligentia eos ſeparet? verùm longè aliter, vt dixi, venuſteque tractant, ποιητικὴ γὰρ εἰσάγει εἰς τὸν βίον ἡμᾶς ἐκ νέων, καὶ διδάσκει ἤθη, καὶ πάθη, καὶ πράξεια μεθ' ἡδονῆς, vt Strabo teſtatur. Ecquod maius præconium excogitaris, alicuique facultati perhibeas amplius teſtimonium, quàm iſtud ipſum, quæ nos è cunis, & aluo parentis vnà cum aëre ſtatim excipiat, cum lacte ſimul ad mores fingat, progreſſu ætatis, firmatoque iudicio ad caſus humanos vtranque fortunam præ-

parct,

paret, atque afficiat, quæ ad actiones vtiles, atque officia educatos expediat, inque opus dimittat, eaque omnia vt citiùs apprehendamus, ſeueriùs vrgeamus, inque conſtemus labore, ſuauitate condiat, omnemque difficultatem, ne quicquam moretur, depellat: quid præterea de vita extuleris humana? nónne his ipſis in hac non modò ſocietate corporis, ſed animi libertate bonis infinitè ſani fruuntur? quid philoſophia grauius docet, vbi hanc in illa gratiam, varietatem ſine labore quæſieris, ac velut aliud agendo, per ludum res mortali conditioni maximè fructuoſas inueneris? Quod verò idem Plato imitatione res fieri peiores dixerit, non creditur. non enim ſequitur, nec firmè concluditur: Res non omnino eſt eadẽ, ergo deterior facta: cùm pictor elegantiùs aliquid, quàm οἰκείως exprimit, num fit deterior: quòd ſi quid eiuſmodi fortè admittatur, ad ignorantiam, & abuſus referas, nõ pulcherrimæ cognitioni vitio dederis, tales exagitat hîc furioſos, & ignaros Horatius, tales ſunt, qui corrupti ambitione quid res ſint, quid τὸ ἁρμόττον velit non conſiderãt. Tertium erat, quod Platonem in hanc opinionem de poëtis, ac mentem impulerit,

quòd multa mala, & minùs licita ex illorũ fictionibus orirentur, ſed & hoc ipſum ad inſcitiam, & malum vſum reiicias, cur non potiùs ab Homero, & aliјs huius nominis ſtudioſis: & facultatis plurimum te adiutũ, excultumq́ue fatetur? & cui Plato ſuam ciuitatem præſcripſit, quis recepit exemplo? Vt igitur nuſquam extitit, nec admiſſa eſt: nos quoque illam hoc duntaxat in iudicio eleuemus, &, ſi premere velit, vt apud Athenæum libro 12. videamus, atque etiam florente nunc adeò poëtica, cum Cicerone politiam nobis Platonis à muribus arroſam dicamus. Quid Athenienſes dani ex Sophoclis negato Regi exemplari tulerint notũ, quantum beneficii ob natales poëtarum aliquot vrbes ſenſerint, hiſtoriæ commemorant. *Philom.* Nónne res à poëtis ſumi, ac diſci poſſunt, relictis illorum tot nugis, & coloribus, quibus periculum eſt ne teneris animis potiùs noceant? *Exeg.* Quî res, quæſo, rectè intelliges ſine illarum artificio, & verborũ intelligẽtia, conſuetudine? Videris enim quod inſulſi quidam imaginatur velle: qui eò, quòd Platonem, & Ariſtotelem Latinos habemus, Græcam linguam ſeponendam clamitant: vel qui res tantùm è Cice-

Cicerone petendas ſomniant, verbis,& ornamentis poſtpoſitis, elegatiaque omni reiecta. Quomodò ſenſum Ciceronis abſque eius ingenio, ſtyloque elicueris? profectò niſi eius tibi amplitudo, niſi gradus, formæque orationum perſpectæ fuerint,in grauiſſimis rebus cæcutias,oportet: non enim in Cicerone,Platone,& ſimilibus,vt in barbarorum inculcata cœno philoſophia, & inerti à verbis rē ſeparabis, idque eſt quod multos in hāc offenſam, & odium Ciceronis præcipitauit, oculis, & ſenſu priuauit. Caſtrent illi bonos, & argutos poëtas, ſed quantum proficiant ipſi,melioresque fiant, dum ſibi quæ magis turpia erant,reſeruant, alijs vſum inuident,alij iudicent. ſed nimis prouectus ſum oratione,& fortaſſe poëtices amore plus æquo tribuiſſe illis, idque cælo conſtituiſſe videbor. *Philom.* Imò verò gratiſſimum hæc mihi fuit audire, atque non leui ſtimulo animum, ac voluntatem perculſam, inque poëticem actam exiſtimes: nunc ad aliquot loca, ſi otium eſt, veniamus, quorum mihi ſcrupulum eximas, inque lucem Horatium producas. *Exeg.* Ego verò nihil eiuſmodi me præſtare poſſe agnoſco, atque extant eruditorum virorum

lucubrationes illorum celebritatem æquantes: veruntamen quædam, ſi voles, ad intelligentiam adiiciam.

Humano capiti ceruicem pictor equinam,
&c.

Exeg. Similia, & exēpla docent, contraria probant. Pictoris igitur exēplo mōſtroſo, ac inuentione, quid in materia vitij, totiusq́ue corporis poëmatis conformatione ſit, declarat. Ac referuntur iſta ad ipſum argumenti officium, καὶ ποιότητα potiùs, quàm τὴν ποσότητα, partiumq́ue conſtitutionem, multò minùs ad κοινισμὸν τῆς λέξεως, quò alluſit Quinctilianus, pertinēt. Ideoq́ue phātaſmate iſto ſphyngem efformat, atque θαῦμα, non τερατῶδες, ἢ φοβερὸν, ſed inconcinnum varietate, atque inepta πολυμορφώσει, καὶ ποικιλίᾳ. Varia quidem vt ſit ſcriptio præceptionum alicuius artis non prohibetur, ita dialectica Sphyngi, Chimæra Rhetoricæ olim aſſimilabatur: at in poëmate aliquo, præcipuè verò tragœdia, & comœdia, inuentio vnius generis, & formæ requiritur: in odis enim & hexametris varia coniunguntur, quidquid vituperet Plato. Nam licèt aliquid præter fidem ſit, adiunctis tamen credibi-

le, ac vtile, ornatumque efficitur. Vt dum Cyclopem Homerus tantùm inducit, cur non montes is auulſerit? *Philom.* Quis igitur horum verſuum ſenſus eſt? *Exeg.* Vt poeta vnius argumenti, atque formæ deligat materiam, ſi tamen ad fidem, aut ornatus cauſſa quiddam figmenti, ac varietatis accedat, id ſit tanquam κατὰ συμβεβηκός. Nónne τῶν ἀδυνάτων, καὶ ἀπίστων primo auditu pleni ſunt poetæ? at illa non ſunt præcipua, ſed aliud ſignificant. Nónne in ſacris quoque, & myſticis, quorum expoſitores ſunt Vates, Diana triceps, Pan auritus, Capripes, Minotaurus θαυματοειδής, nónne ſatyri ſecundum Horatium fabulis mixti fingebantur loco θελκτηρίων? Itaque inuehitur Horatius in fabulę ſcriptorem aliquem, vt extremum quoque huius libelli facit iudicium: atque vitioſa oſtendere, quàm picturæ ineptitudine, aptiùs nequiuit. Non ſecus Cicero picturam Homeri carmen in quinta Tuſculana appellat, & Plato circa eadem vtraque verſari confirmat. Quocirca ſit vnius, ac ſimplicis formæ poëma, partibus aptis, vt ad inuentionem magis, quàm partium ´συστασιν referas: nam Homerum poſteà laudabit, quia

tranſpoſuerit varie, ac permutauit, locoque, ac temporibus inſeruierit partibus, hæcque ſunt συναφείας ἢ τοῦ εἱρμοῦ ἢ ἐνεξίας rerum, nõ partium κακοσυνθεσίας, vel ſtructuræ aſperæ, hiulcæ, non bene confectæ. Itaque ſi Æneida cum bucolicis, Pindarum cum Sophocle, Ouidiũ cum Lucilio miſceas, atque ſingula pariter tractes, πολυκέφαλον opus, & & ingratum viſum exhibueris: quod ſi Æneida cum ſcachorum ludo, aut murium, atque ranarum diſſidio conferas, ſi oden aliquam Horatij aut Theocriti cum ſacris ratione miſceas, Chriſti admirabilem & expectatam generi hominum faciem ecloges, & paſtoralibus inuoluas, quamque Herodes tyrannidẽ in pueros infantes ſæuiſſime, atque crudeliſſime exercuerit, locis quibuſdam poëtarum ſimilitudine augeas, ac illuſtres, nemo vituperabit, caput ſit tamen vnus Chriſti humanus diuinè ortus, ὁμοειδὲς ſit poëma, reliqua declarandi cauſſa ponantur: ita formicæ, arborum folia hominibus comparantur, ita Turni furor, ac impetus Tauro, hac ratione ſocij Vlyſſis conuerſi in lotum, & porcos fuere, hęc enim ſuauitatis, καὶ ἀλληγορημάτων τε, καὶ ἐμβλημάτων fiunt ἕνεκα.

Pičlo-

Pictoribus atque poëtis.] προκαταληπτικὸν eſt: vulgò enim dicebatur poëtis, & pictoribus quiduis quouis modo cõminiſci fas eſſe: id Horatius ἐπανορθώσει concedit: non enim quæcunque volũt poëtis fingere licet, vt eſt in 4. politicorũ Platonis. Nam ſi ſint κακόζηλα, ἢ ἀπίθανα, καὶ κακόπλαστα, meritò abijciuntur, nec in theâtrum admittuntur, ne vel actibus oſtenſa noceat, vel à fide abhorrentia riſum omnibus commoueant. Cautus ſit igitur poëta, & circumſpiciat quibus auditores ſibi conciliare poſſit, etſi gradus in erroribus quidam ſunt, & leuiora alijs alia peccata: quis exagitarit quempiã etiamſi cornibus ceruam induxerit, aut pedibus ſerpentem? ſi eadem tamen exprimere ineptè coneris, turpius erit, & facilior eſt naturæ ſemper, quàm incuriæ, atque artificij error, & Ariſtoteles præfert ea, quæ fieri nequeunt, modò ſint veriſimilia ijs, quæ licèt fieri poſſint, à vero magis diſtant.

Inceptis grauibus.] Hæc bifariã accipi poſſunt: vt dicamus principia debere eſſe magnifica, ornata, vt veſtibulum ædium: quod & Pindarus monet, modò nimia ne ſint, atque inſtituto congruant, vt ſi luctuoſa ſunt, & miſerabilia, pullis, & cupreſſo aditus one-

onerentur,ſi læta,ſi publicè vota,alijs ornamentorũ generibus præluceant. Sed altera interpretatio melior eſt,vt καθ' ὑποφορὰν ſit emendatio. Cauendum eſſe,cùm digreſſionis,& gratię in argumẽto magnifico aliquid inſerueris,ne πάρεργα τοῦ τεθῖν moleſtè excedant. Vt ſi Dianam deſcripturus,luco,& flu uio plus verborum, ac heruorum,quàm rebus ipſis impendas: ſi Germanię mores notos facere velis,in ortu Rheni, progreſſu, pi ſcibus,& oppidis quę adiacẽt eius decurſui, ſiluis totus ne occupere,ſed conſuetudine, rebus geſtis,armorũ generib⁹,hoſpitijs,omniq́ue vita hominũ,& ſtudijs,nõ habitu ſolũ,ac veſtitu,edulijs,vino: malè igitur de Tãtali pœna dices, ſi totus in aquæ ſis deſcriptione. Sed mihi tertia interpretatio adhuc magis ſatisfacit,vt reprehenſionẽ illorũ eſſe dicamus,qui, vt initio monuim⁹, difformẽ, ac multorũ capitũ eadẽ ſcriptura materiam cõplectũtur. Vult enim,ne res heroicas cum ſcenibus, ne prætextã cũ tunicis & tabernis miſceam⁹,ne de plumis,vnguibus leonis,ca put formoſę exiſtat puellę, ne exordio magna pollicita,humi poſteà ſeſe proſternat fa bula: atque hãc auctoris eſſe mẽtẽ ſequẽtia probãt,dũ amphorã,quæ capax eſt,ſeu quadrantal

drantal,multorúque vrceorũ,in lõgè anguſtiſſimum vas operis proceſſu ridicule exire vetat.Sunt qui idẽ genus vbique argumẽti, epithetorũ, ſchematũ,trãſlationũ adhibẽt, velut is,qui cupreſſum omnib⁹ tabulis periculũ,& ſalutẽ nũciantib⁹ appingebat.Verũtamẽ ne neſcias lõgiores quoque ἐκβολὰς τῦ λόγυ,quę data opera , & citra fidẽ quidẽ interponũtur,vt Calypſus,vt ſpec⁹ illud ab Æliano recitatũ Atalantę:atq; enthymemata quoque φαινόμενα ſępe quadrãt,vt ſi canem laudes,ac de cęleſtis quoq; virtute canis nõnulla afferas:vel ſi in vocis,aut rei alicui⁹ ambiguę expoſitiõe immorere.Vt ſi mures laudatur⁹ de myſterijs,& ſacris tractes,q, ab eis nomẽ hęc ſũpſerint: vel q̃a mira eſt συμπάθεια inter muſculũ,& ſuẽ,ſi ὗν,& ὕρανα idẽ ſignificare dicas,ſed tẽperãda,quę alteri⁹ cauſſa fiũt,modo ſũt,& dulcedine,cũq; nõ adeò ſunt neceſſaria,obiter attingẽda,ne folia,& flores pl⁹ q̃ fruct⁹ verborũ abſumãt:ita in nono Virg.modicè ſiluã,&Euryali caſum attingit,Homer⁹ vt in magis neceſſarijs lõgior eſt in catalogo nauiũ,& apparatu,itẽq; Virg.in Turni ſocijs recẽſendis . Vt igitur quę ad rẽ faciũt Hor. copioſè addẽda,ita quę ſuꝑflua ſunt,ac rẽ poti⁹ obſcurãtia, omittẽda putat: quis

quis in prologis plus, quàm conuerſionibus, & ſolutionibus fabularum diligentiusq́ue verſetur? quis flammas Didonis expoſiturus de Carthaginis ſitu plura, quàm affecti bus, ac dolore fruſtrati connubii loquatur, quàm Annæ ſororis conſilijs, quàm prudentia Ænecę?ne igitur longam prætextam ſperes, cùm exordium pullum videas, vt habet Quinctilianus.

Denique ſit quod vis ſimplex duntaxat, & vnum.] Hæc pręcedentium concluſioni inſeruiunt, vel præoccupatio eſt, qualis fuit precedens, vt ſit ſenſus: Difficilè vitia in materia, & partibus vitari poſſe, vt etiáſi multi quiddam ſimplex, & vnum ſibi argumentum propoſuerint, ſpecie tamen recti in vicinos delabi ſolitos errores: vt dum breuis eſſe labores, obſcurior fias, dum leuia conſectcris, τὰ συνεπικοσμοῦντα neruos frágant, ſi ſublime genus orationis ſpectes, tumidus & ineptus euadas, ſi familiaria ſcribere ſis aggreſſus, dum caues ne in maiora, & grandia incidas, ac eniteris, vt intra limites tutus ſis, humi timore non certo ſerpas, exilis, ieiunusq́ue efficiare. Poſſimus tamen hanc partem ad ordinem partium quoque accommodare, vt quæ in confirmatione,

ac

ac epilogo dici debuerant, in poëmatis ingreſſu, ne cuncta contentioſe effundantur, ac *μείουρος* fiat, corpus enim non ſolùm magnitudo, ſed ſymmetria quoque decens conſtituit.

Qui variare cupit rem prodigialiter, &c.] Iſta exempli cauſſa ſubijcit: qui variare monſtroſe fabulam, id enim eſt, rem vnam, non epica, cupit, quæ coire natura, locisq́ue nequeunt, conſociet, aut ſuis transferat ſedibus, atque huius generis argumenta grammatici *ἀδύνατα* vocant, quibus obiter, *ὑπερβόλοις* quaſi, poëtæ non citra gratiam vtuntur, vt octaua ecloga, & alibi. In hoc quoque vitium aberraret, qui vt Cæcilius ex Menandro tumore tragico fabulam conſarcinaret, vel Apollodoro, Poſſidonio, & alijs. Aduertendum hîc tamen Horatium etiam quæ prodigioſe fieri ait, tamen aliqua nota formæ, ſimilitudinisq́ue mutuò ſe teſtari debere. Nam & aper marinus, & Delphin aprum non prorſus informem capite in ſiluis reperiat, ac ſturio ſuis roſtro eſt conſpicuus. Si igitur cælo ſydus deuoces, & canibus gemines, ſi qui ſerpentes in aquis perpetuò degunt, terræ in conſuetudinem veniat, adeoq́ue *ἀμφίβια* quæ dicũtur, aqueis,

aut

aut terreſtribus coeant, ineptum fuerit, ac prodigij ſimile, nihilominus non abſurdum omnino, & ab aſſenſu, & admiratione relictum dicetur. Sed κακοσύςαον ordinis præcipuè notat, quæ imprudentibus, & malè cauentibus intercurrit tranſuerſa.

Æmilium circa ludū faber imus, & vngues, &c.] *Philom.* Quos hic ludos intelligit, quē fabrum? *Exeg.* Romæ fuiſſe aliquot ludos gladiatorum, & aliarum corporis ad viriū commoditatem exercitationum, ſatis notum eſt: quos inter ab Æmilio quoque fabricatus locus, & poſteà collapſus, ex S. C. reſtitutus fuit, vt eſt in numis M. Æmilij, forma ędificij refecti expreſſa. πλαςὸν igitur ponit παραδειγματικῶς. Si faber ſolicitus quidem, ſed non ſatis cautus, qualis circa Æmilianū quidā ludū eſt in imo ædificij loco ad ęs conflandū & ducendū parato, quę extrema, nec adeò neceſſaria corporis ſunt, ſedulò exprimat, vt ſunt capilli, vngues, naſum verò, & cætera, è quibus decens forma conſit, obiter reprę́ſentet, nec ſummam eodem artificio, & commendatione operi manum imponat, infelix opus, atque miſerū, quòd præcipuis deſtituatur, pronunciaris. Si enim optio mihi detur, cuiuſmodi turpiter

fingi

ſingi velim, nõ minùs ab illo formari, quàm qui nigris me oculis, & capillis ſpectabilem propoſuerit, ſed nullo, aut prorſus naſo prauo cuperem, vt non ex eadem officina totus prodijſſe viderer. imus igitur faber eſt, qui infimè habitat, & ignis maxima vi ęra fundit, nec diligentem ſignificat, aut nomẽ proprium, vt mirer quoſdam eruditos tam ſtudioſè diuinare voluiſſe. Illud tamen non prætéribo, in meis exemplaribus, atque etiam eo, ꝙ hic Antuerpię vidi apud Pulmannum pro (faber imus) legi (Faberinus) proprium nomen: nec mihi lectio diſplicet. quòd ſi nuſquam huius mentionem alibi dicas extare: quid opus fuit incautum fuſorem celebraſſe? quis verò Mecij iudicis alius, quàm Horatius vnquam meminit?

Sumite materiam veſtris qui ſcribitis, æquam, viribus.] Secundum præceptum annexum primo, tanquam προσεπόμενον concluſionis antecedentis, vt inferiùs: Tu nihil inuita dices, facies'ue Minerua. Ne igitur argumentum πολύμορφον ſit, ſed πολύσχημον, ne in medio vires nos deficiant, atque vt oportuna ſint; ac partibus vniuerſa conſentiant, initio deliberandum, quantum exequi, ac ſuſtinere vires poſſint. Turpe enim eſt onus, cui fe-

rundo non ſit par baiulus, tollere, turpius ferundo ſi corruat. *Philom.* Quid ſi aliquod inſigne, ac recens inuentum ſit, cuius adminiculo res humanæ iuuentur, nullus verò ſcriptor eo exemplo, neque verbis præierit, aut hiſtoria ſit ad memoriam pręclara, & ſimile facinus prouocans, nullus verò pro dignitate rem tractet, num artificij potior, atque ornatus, quàm rerum, atque vtilitatis ratio ducetur? cuiuſmodi ſanè noſtro hoc felici, & ingenijs affluenti ſæculo indies exiſtunt: ſanè hac opinione quorundam, & iudicio ſeuero factum exiſtimo, quod multæ res ſilentio egregię ſcriptorum inopia inuolutæ, ac ſepultæ iaceant, dum artis plus in prodendo, quàm vtilitatis exigimus. *Exeg.* Rectè iudicas, neque is in reprehenſione fuerit, qui ab arte laudem non quærit: nunquid Ilias Daretis abijcienda ante Homerum fuit, quæ etiamnum quædam habet, quibus caret ille? nunquid Daphnis prima ecloga illa ſimplex Theocriti conferenda fuit, aut Oræbantij poëmata cum Orpheo, aut Homero, quia nõ certant, omnino ſpernenda? Si Meliſandri Lapytharum cũ Centauris pugnam haberemus, non ita Statij requireremus gygantomachiam. Itaque rebus,

bus, ac neceſſitati ante omnia ſatisfaciendum, deinde ſuccedere ab alijs ornatus, aut ἐργασία ſi opus ſit, ad pulchritudinem elegantior poteſt. Quare ſi typographicæ inuentum ne caſu abolitum, aut malorum inuidia preſſum aliquando prorſus intercideret, metueremus, cur quomodocunq; eius inſtrumenta, modum, operas, etiamſi tot eius non attexamus commoda, non deſcribamus? Quid à primis auctoribus omnium nationum, atque regionum hiſtoriæ fuerunt, num iccirco voluntas, & nuda improbanda induſtria? Sed Horatius noſter de dramatis loquitur, ac theatricis argumentis, quorúm ſcriptores non minùs πολυκέφαλοι, quàm ipſorum erant lucubrationes, & qui ea de ſe pollicebantur, quibus vires, ac ſtylus non par erat. Rectè igitur Virgilius ſuum expendit Æneam, rectè Sophocles, & alij fabulas hiſtoricas, quippe quos nemo eo genere argumenti vnquam eſt aſſecutus, minùs præceſſit. Rectè vides Chriſti incunabula, vitam omnẽ, rectè Sanazarus paſtorea diuinis exculta, & munita laudibus, & exẽplis & ſuſcepit, & abſoluit: malè Cyclicus res Priami, & nobile bellũ cantauit.

Cui lecta potenter.] Id eſt, pro viribus κατὰ

δύναμιν: eſtque fructus, qui ad cogitationes operi conueniétes futuro conſequi ſolent. Quemadmodum qui oneribus portandis vitam tuetur baiulus, antè humeros explorat, iter, atque terminum: ita qui modulo ingenij, atque artificij argumentum ſuſcipiunt, facile ijs ſe ad materiam ordo, ac verba offerunt, tanquam vmbræ, ac rerum ima gines: non enim rem prouiſam illa inuita ſequentur.

Ordinis hæc virtus.] Tertium præceptum ad σύςασιν, & εὐταξίαν pertinet, quæ inuentioni ad fidem, atque εὐμάθειαν inſeruit: nam vt philoſophus ait, ex magnis, & ordine pulchra exiſtunt, nec bonitas rerum, aut copia ſine diſcrimine fuſa multum emolumenti affert, non ſecus atque chaos informe, ac non diſtinctum. Quæ de diſpoſitione Oratores tradunt, ab ijs petes, ac de methodis doctrinam dialectici ſibi vendicant, nec leuia ſunt, quæ Agricola in ſuis topicis memoriȩ mandauit: veruntamen quod ad hanc noſtram ecphraſin ſat eſt, te moneo, poëtarum non minùs gloriam, quàm Oratorum in debita, & efficaci partium, & argu mentorum collocatione verſari: vt occultè, ac diſſimulatè quædam fiant, multa in tem-

tempus differantur, ſtatim ponantur quædam etiam non neceſſaria, nec vno in loco redundent omnia, nec falſa emineant ſola, nec vera tantùm placeant: ſed ita confuſa, & traiecta ſint, vt ſuſpenſum, & in deſiderio auditorem vſque ad exitum habeamus perpetuum, quæ dicta ſunt, vix audiuiſſe ſe putet, cùm idem repetatur, aliud, ac aliud ſe, nouumque videre arbitretur, in exordio medium, in fine vtrunque appareat, & velut abſque medijs ad extrema perrexiſſe poëtam iudicet: quod in Oedipo tyranno Sophoclis quoque præſtitum. Atque hæc malim ad epicos, quàm alios pertinere, quorum in hoc genere *οἰκονομίας*, & *προσοικοδομήσεως* ſumma eſt virtus, præcipuumque decus, vel ob compoſitionem amplam membrorum, ſententiarumque productiones, quibus tegi multę poſſunt: in alijs quia contracta ad trimetros ſunt, iſta vix ſperare audemus: niſi ad motuum varietates, quæ in fabulis plurimæ occurrunt, iſta traducas. Porrò videmus quid Homerus, quid Virgilius ſpectarit, atque hæc ad poëticam non hiſtoriarum, aut agriculturæ artem vocanda ſunt, in quibus ordini, ac temporibus, non genio noſtro, atque artificio indulgemus,

mus. Ideoque Ariſtoteles non diſſimilia his adducit, dum de nuncio mortis Cyri omnia excutit: *δεῖ γὰρ τὰ γενόμενα οὐκ εὐθὺς λέγειν ὅτι ἐγένετο, ἀλλὰ καὶ μικρὸν κρεμῶντα τὸν ἀκροατὴν, καὶ ἀναγκάζοντα συναγωνιᾶν*, his enim *μακρηγορίας* ſuſpicio euitatur.

Hoc amet, hoc ſpernat.] Promiſſi, hoc eſt producti poëmatis, & longi, vel magnificè denunciati: vt ſe propoſitum ordinem ſequi, non deflectere ſimulet, cùm tamen quod ſignificarit, ſpernat, quod ſpreturum dixit, maximè etiam vrgeat, vt auditorem ambiguum retineat. In Oratoribus iſtud non probaretur, qui iudices, non auſcultatores tantùm habent, atque teſtata, & ordinata ad victoriam, euertendumque aduerſarium tanquàm aciem, ac tela inſtructa habere debent, etſi multis modis, & artibus iudices circumueniant, nec pugnent ſemper pedem conferendo pedi, ſed tranſuerſe ſubeunt, ac proſternunt incautos, *καὶ παραλογισμοῖς* eludunt.

In verbis etiam tenuis, cautusque ſerendis.] Hoc eſt, deinceps, ac ordine ponendis, vnde verſuum ſeries dicimus continuatum ſcriptionis proceſſum. Atque hæc ad elocutionem faciunt. Initio enim generatim qualis

ratio

ratio inuentorum, deinde quo ordine, nunc quibus verbis explicatio fieri debeat, præcipit. *Philom.* Quid per tenuem, & cautum intelligit? *Exeg.* Non hîc de attenuato genere dictionis, nec de nouis quaſi faciendis, aut tranſlatis è ſuo loco diſputat: ſed ne quicquam leuiter, ac temere, nullo verborum ordine, atque poteſtatum gradibus neglectis omnia confundamus. ſi enim vſpiam voces propriæ, ac diſcrimen verborum obſeruandũ, illorumq́ue pondus expendendum, id certè poëtis negotium incumbit, vt numeris concluſi propiùs rem explicēt, vt percipiantur, vt ad motus & animos fingendos, agendos, vim, & efficaciam habeant: quæ enim copia, & circuitione verborum proferuntur, non ita mouent, quod etiam ex metaphoris apparet circumſcriptis. Vult etiam, ne qui tragœdiam ſcribũt, ad bucolicorum caſulas dilabantur, ne alienis linguis fabulæ, vt ferè epopœiæ, ac barbariſmo refertiantur. Quòd ſi appoſita, & cum rebus nata deſunt, aut ſæpiùs repetita diſpliceant, arte ſupplendos defectus oſtendit, & illis paria, aut ratione non aliena iubet appendenda compoſitione, deriuatione de Græcis, factione nouorum, peri-

 phraſi

phraſi,catachreſi,mutua rerum,vel proprie tate aduerſaria,priuantibus,ex ijs quæ inter ſe reditum habent,&c.Parcum igitur, & ſo lertem verborum promum requirit, formæ enim velut rerum ſunt, ac vmbræ verba, easque diuerſas, nec eaſdem ſolis eorum indicibus effeceris: tanti res eſt momenti verborum delectus, ac perceptæ ſignificationes: quas cùm optimè tenueris, tamen collocatione, & cum alijs ſocietate naturam ſuam immutare, vimque poſſunt.

Dixeris egregiè notum ſi callida verbum.] Hæc tam ad ſingula, quàm coniuncta pertinent,ac integras conſecutiones,& optimè declarantur à Quinctiliano lib.8.cap.de or natu,quem,volo,legas.Ac fit quidem ſæpe, vt res alijs non auditas,vel tractatas producamus: eaque re præter metaphoras non πεποιημένοις ſolùm, ac fictis, ſed πεπονημένοις opus eſt,quaſique factis,atque laborioſe inuentis, ne verborum inopia quidquam obſcuremus, aut rebus, atque intelligentiæ fraudem fieri patiamur. In ſeptimo Virgilij pro lateribus coſtas feruentis aheni dixit, non quidem nouè, ſed in vſu catachreſis eſt: ita Seruius cadauera ciuitatum, ac re-

gionum

giontũm nouè dixit, ſed pulchra analogia. Noua verò ſunt, quæ ab alijs in vſum nunquam venere. Si igitur ſimplicem, ac tritam vocem compoſitione, aut ad aliam tranſpoſitione artificioſa iunxeris, nemo reprehendet, qualia infinita ſunt Horatij, & ſatyricorum, vt afficere pretio, 12. Æneid. incidere ludum, diſſociabile, immodulatũ, capitis niues, &c. Ex priuantibus etiam non pauca ducũtur tranſlatis, ſed ἀναλογίᾳ, vt ſi tubam ἄχορδον λύραν, ἢ ἄλυραν dicas, & μέγεθος efficiunt, vt eſt in 3. rheto. Terentius, & Plautus non ita ſunt alieni à proprietate, nec plus Græcis, quàm ſuis delectantur. Apud Oratores ſi dicas ſine fece diem, vel cloacam corporis, quis non rideret? In nouis tanquàm fingendis non inutile fuerit periphraſibus obſequi: modò te velut næniæ quædam non decipiant, ac vt oracula ambigua ſine gratia afficiant. licebit igitur nouis omnino vti, ſed parcè, vt cinctutis, pro cinctis, quod quidem ne Cethegorum ætas rudis, & inculta benignè exaudiſſet, quo etiam in Faſtis vſus eſt Ouidius. Solent tamen poëtæ compoſitione varia, & noua proferre, qualia in Eccleſiaſte Ariſtophanis multa ſunt: vt κιγκλεπικοσσυφοπεριστε

ϱαλε κριτιονοπτεκεφαλλιοκίγκλοπε. ſed ridicule iſta fiunt, nec aſſumenda ſunt exemplis: talia ſunt inter alia *ῥακιοσυρραπτάδης* Euripedes dictus, Latina pro dente, nucifrangibula, triuenefica, & multa Plauti, & in Feſto, atque Verrii Epitome plurima. In multis agemus tutiùs, ſi è Græco fonte Latina detorſerimus, qui feliciores omnia in fingendis ſunt etiam teſte Quinctiliano. Sed iſtud conſilium noſtris temporibus minùs conueniet, quibus non cum matre, ſed ex libris Latinæ, atque Græcæ linguæ ſcientia eſt diſcenda. Nam ſi Ciceroni vix licuit aliqua nouare, nec citra notam, ac veniam, quid nobis in hac obſcuritate linguarum, vſu incerto permittemus? Si Verrius feſtino à fando deducebat, ſi Virgilius ineptè ſales, ac non propriè de Græcis tranſtulit, vt Gellius annotat, ſi Varro panis etymon à panno, ſtagnum à Græco deriuat, bullam à *βουλῇ*, ſi Gellius manubias ſolam pecuniam, ac nefaſtos malè dici ait dies, cùm & Varro, & Ouidius ea voce ſint vſi, ſaltem à ſaltu literatores dicant, ecquid nos ab illa ætate, & cognatione velut longiſſimè remoti, qui librarijs, & typographis credere cogimur, audebimus? Si tamen ad alias vulgares linguas iſtam ſe-

uoces

uoces veniam, non peccabis, quarum eſus ex familiari auditu, & colloquijs comparatus, quod ex iuuenilibus, ac primis illis Bembi literis Italicis, & Corteggiano Caſtilionis comprobatur: qui veſtigijs Latinorum ingreſſi, ſuam linguam nouis locupletarunt, vſuque deinde, atque compoſitione domeſtica reddidere. Non ſecus Galli è Græca, & Latina, & Hiſpani ſuam indies cumulatiorem, atque politiorem efficiunt, nec ſolùm ſolitaria verba deduxerunt, ſed modos conſecutionum, lumina, geſtuſque orationum, ac formas imitantur. Eo modo Latina ſunt facta decempeda, album, brachium, algere clathrum, Chironomon, pes de fune nautico, os, exoſſare, vt ſic dicam, nomen, læna pro χλαῖνα, purpura, telum à τηλοῦ, hepar, balneum, cor. In coniunctis, & formis dicendi (vno omnes ore omnia bona) pro εὐφημεῖν, Celſo gaudere, quo τὸ χαίρειν, & εὐπράττειν expreſſit, lucigenum ſolē, pro λυκιγενέτην, & φώσφορον dicimus, ὄνομα ἐνύφαδης, Varronem intexere Cicero dixit: & ὑπέφηναί τι τῆς ἡμέρας, luciſcebat dicimus, & illa Ciceronis: hęc te, ſi vllum ſenſum habes, lacerat, hæc cruentat oratio: nec aliter dicimus, atque Græci ebrium amorem, beneuo-

neuolentiam habere,pulchrè quoq; Petrarcha occupare in aliqua re, atque comiti ingenio, *accampar l'ingegno* prmus, & alia innumera dixit. Memineris quoque multa tranſlata ænigma parere, confuſionem dialectorum barbariſmum gignere,propria perſpicuitatem, ſed humilem eis reddi orationem, atque τὰ πεπλασμένα, & metaphoras analogiam exigere,ſordida etiam benè ſignificantia præ bonis, ac puris negligi. Noſtro verò ſęculo pro nouis faciendis, antiquis interdum vti poterimus,ſi alia deſint, qualia Varro multa,& Verrius enumerant, atque etiam Gellius.Ceterùm Gazæ in ſuis tranſlationibus,item ijs qui dialectica,& ſimilia de Græcis Latinis literis explicarunt, quomodò etiam Plinio quædam facienda, & conformanda fuere, niſi tot circuitionibus inepti, atque improprij eſſe maluiſſent. Cloatius quidam Verrius integrum volumen, & quidam Hypſicrates grammaticus de vocibus Latinogręcis conſcripſerunt,ſed nobis viſi nunquam ſunt.

Et noua fictaque.] Noua propriorum ſunt, ficta tranſlatorum,ſiquidem, vt eſt in Oratore ad fratrem,ſingulorum verborum laus in tribus conſiſtit,ſi vetuſtum ſit,quod conſuetudo

tudo tolerat, ſi factum coniunctione, aut nouitate : atque ſecundùm Plutarchum multa noua Homerus excogitauit. Ac diligenter obſeruabis in Epopœia noua, factáque amplitudinem creare , ſed illa plana ſint, nec à conſuetudine aliena, καὶ ὅμοια τοῖς κειμένοις, ne γλῶττα committatur. Habeant ἐνέργειαν, deriuentur agnominatione, coniugatè, vt à Schapha Scaphites, à Muſa Muſicus, ab hexæri hexæretæ, ab ipſo, ipſiſſimus. Quæ ſequũtur in Horatio πρόσληψις ſunt, de quorundam prauo iudicio, qui hanc eius opinionem negligebant, & in ſcriptoribus licẽtiam, & aliena externaque nõ ferebant. Si, inquit, in Plauto, & Cecilio imitationem , augendæque latinitatis normam nõ vituperatis, quid Virgilio, ac Varro, qui, vt eſt oda ſexta, proximus laude à Virgilio fuit, inſultatis ? Vel à minori ad maius inuerſa ſententia: ſi ineptis illis græcari licuit, quorum nec ingenium, nec ſtudium conferendum cum noſtris eſt : cur non æquam mereantur laudem Virgilius, ac Varus, cuius in eclogis meminit, ſed alius huic diſſimillimus fuit, ad quem Martialis: Dum facias verſus, &c. Si Zenoni, Catoni, cur non Ciceroni ? *Philom.* Sanè tantis viris quiduis

eſt

eſt condonandum, vt quorum temporibus res Latinæ ad ſummum cum facundia exceſſerant, atque ego, quando Terentium, & alios poëtas lectito, plurimos helleniſmos deprehendo, quorum ſententiam, niſi Græca ratione, nunquam aſſequerer. *Exeg*. Homerus nónne & ipſe ab Orpheo, atque Orabante fecit, de Menandro Terentius, Philemone, Apollodoro? Hic ipſe noſter auctor licèt *ἀκόνην* ſe tantùm profiteatur, tamen poëta eſſe vult, hancque libertatem depoſcit: quæ cuiuſmodi fuerit, facilè appareret de ijs, qui interciderunt Græci, atque libet confiteri, vna hac in epiſtola plures eſſe grę ciſmos, quàm in toto Virgilio, adeò iſtam Græcorum formam ſecutus eſt. Caue tamen vſpiam vim rebus verborum diligentia facias, vt ſi ob elegantem coniunctionem oleam non verè *ταννύφυλλον* dicas, ſi ambiguè ludas, vt *ζωρότερον* pro vinoſo apud eos ponas, quibus id frequētiam ſignificat, *ὖν γὰρ ὕεσκα* apud Ætholos, *μνάμονα* pro memori, & qui modū pręſcribit, vt eſt in principio ſympoſij Plutarchi. Sed in nouatis & deriuatis more Ciceronis *προεπτιλῆξι*, tanq̄ nota veniæ, atque ſymbolo recens cuſi numiſmatis vtemur. In nouis igitur modici, in tranſ-

latis

latis verecundi, in priſcis remiſſiores erimus: atque de his in 2. Quinctil. atque hîc (producere) malo legere, quàm (procudere) atque ſignatum pro nota, vel ipſa venia.

Vt ſiluæ folijs.] *Philom.* Hæc de Homero videntur ſumpta. *Exeg.* Non aliter ille de mortali hominum conditione loquitur: à pari igitur, vel maiori ad minus eſt contentio, vel ſi vis digreſſio analogica, vt eſt in 3. ad Theod. & in poëtica Ariſtotelis, qua veniam nouis impetrat. atque in hanc argumentationem multa ex alijs congeri poſſent, niſi ſuperuacaneum eſſet: atque in ſecundo Georgicorum, & Ouidius in Metamorphoſi terram in mare fuiſſe redactam, & contrà teſtantur: atque lucrinus factus à Iulio Cæſare, pontica palus à Cethego, vt eſt in quarto Flori. Certè vt in rebus ipſis nihil eſt perpetuum, nihil quod interitum fugiat: ita in vocibus nullus vſus eſt conſtans, atque vt mores hominum; ita ſermo variatur: horumque omnium penes vſum ius, & arbitrium eſt. Atque hîc (ius) non (vis) lege. more Quinctiliani, qui vſu vocabula, vt numos valere ait, neque hoc ſuperiori lectioni in verbo (producere) derogabit. Vide 2. epiſtolam ad Florum, & Lucretij tertium, vbi ait,

ait: Cædit enim à rerum nouitate extruſa vetuſtas, &c.

Res geſtæ, Regumque Ducumque, & triſtia bella.] Hæc ad materiam, & formam poëmatis dicuntur, & ſimul exempla vnde ſint petenda ſimilium, declarat. Nam vt anteà dictum eſt, non tam rebus quàm numeris, & affectibus poëtæ differunt. Si Euripidem hexametris retexas, ſi Odyſſea conuertas iambicis, aut georgica lyricis, ineptè feceris: in quoque igitur genere præcipui ſunt, ac meliores deſignandi, quorum auctoritate, ac modo noſtra commoderemur, & probemus, vt Polygnotes faciebat, deteriores enim ſequi ſtultum, vt Dionyſius, ſimiles verò inane, atque inutile. Ex his tanquam cõſectarium fit, quæ mox dicet, cuilibet argumento res, & verba eſſe propria tribuenda, certos ſcribendo auctores deligendos. *Philom.* Adeóne fuit Archilochus acerbus, vt numeros conuitijs ſuis addere norit, eiſque communire? *Exeg.* Nihil eius, quod ſciam, reſtat: ſed ab eius acerbitate illud Ciceronis ad Atticum manauit: archilochia edicta. Hunc ipſum ſanè Horatius non malè imitatus ſibi videtur, vt eſt in prima ad Mæcenatem:

Parios

Parios ego primus iambos
Oſtendi Latio numeros, animosque ſecutus
Archilochi, &c.

Græci iambum λεκτικὸν, & λογικὸν vocát: eius pes contrarius nullis in locis admittitur. Iubet igitur Horatius non quoſuis numeros, quibus'ue rebus applicandos, nec figuras, ſed vt Oratotes certo modo in ſuis ideis verſantur, & clauſulis: ita characteres eſſe certos, ac metra diuerſorum poëmatū, ne vt pictor imperitus cupreſſum, ita nos præter rem omnia confundamus. Atque iſtud decorum in primis ducitur, atque cuſtoditur ex affectuum ratione, rerumque, & circunſtantiarum ποιότητι, loco, tempore, ætatibus, perſonis: hocque eſt, quod Hermogenes in ſuis formis τὸ ἦθος collocauit, ſine quo, ἡ δεινότης aptitudo congrua nulla eſt. Ariſtoteles etiam in tertio rheto. συνομοιοπάθειαν τοῦ λέγοντος requirit, ſiquidem τὰ παθητικὰ ſunt propriè hypocritica: ac de moribus ætatum luculentè in 2. rhetor. Ariſt. & alibi. Hæc ſi poëta ignorat, operumque vices negligit, cur hoc nomen ſibi vendicet? aut cur nolit diſcere, ne ἄχρηστος ſit, dijsque, ac hominibus inuiſus? Atque epitheſes ipſę nulla ex re, quàm τῆς περιστάσεων

conſideratione applicantur, fabularum exitus, à principio ad finem ſuis ſe terminis tuebitur, nec partibus auxilium externum, aut Deorum implorabit. Non enim res par ui eſt iudicij epitheta diſcernere, operoſiùs confingere: quod vel hinc apparet, quod qui non faciunt, ſed in ordinem tantùm quendam puerilem ea cogunt, vt Textor quidam, indoctè planè, ac inſcienter, illa tractarint, & ſine cauſſis ſambucum cum ſambuca, & infinita alia turbauit. Vtiná noſtro æuo poëtę tam argumenta & artificium diſcernere, quàm numerare ſyllabas, & vna hora cétum ructare verſus noſcent: loquor de Cyclicis, non elegantibus, quorum Italia, & Germania non paucos exhibuit. Magna enim pars ſe ob aliquot verſus poëtas exiſtimant, ac quouis genere metrorum, verborum, epithetorum omnia componunt. *Philom.* Nónne vt ſyllabarum, & pedum inter ſe conſenſus quidam eſt, ita rerum ſocietas? *Exeg.* Nullum argumentum eſt, quin ad aliud cognitione, ac fine retuleris, ſed tamen ſuis numeris gaudent, in eoque laudem acquirunt, quo ab excellentibus ingenijs fuerunt aliquando expoſita. Si tamen imitationem affinitatis ſpectes, quod nihil

in

in ſe purum omnino ſit, & ab aliorum immune amicitia, ex heroico ſatius eſt tragœdiam quàm ex tragœdia heroicum efficere: iambis trimetris conuicia iacere, quàm, vt Ouidius in Ibin, elegiacis id perſequi: quáuis ob nomen diſſimulatum Ouidius excuſari poteſt. Si Anacreõtis luſus hexametris repetas, per id tenue fuerit, eius tamen verſibus ignes Didonis mallem, quàm lyricis recitare: quòd in his & verborum & numerorum conſenſus maior ineſt. Ouidij epiſtolæ nullo alio genere deſcribi commodius potuiſſent: Metamorphoſes tamen alios numeros quædam recuſaſſent.

Ab ouo.] Vitioſa eſt expoſitio cùm falſa enumeramus, ſed per ſe ſunt vitioſa, quando præter rem nimium longè repetuntur, vt illud Ennij: Vtinam ne in nemore, &c. vt eſt in ſecundo ad Herennium.

Dulcia ſunto.] Plutarchus in Sympoſio verſiculo cuiuſdam poëtæ inter ſuaue, & dulce diſtinguit, quaſi vinum recens ſit dulce, mel ſuaue, coctioniſque mora differant.

Telephus & Peleus.] Exemplũ vitioſum. Eos qui pauperes ſunt, ac miſerationem aliorum expoſcunt, arrogantibus, & pro imperio verbis prolixis vſos fuiſſe. atque hic

pro (cum) cur ponatur. Alij hunc locum ſecus exponunt, & fabulam in varios diſtrahunt ſenſus. Simile Protagoras in *μῆνιν ἄειδε θεὰ*, reprehendiſſe fertur, de his in Euripide, & Ariſtophane diuerſo conſilio legas.

Non ſatis eſt.] ἐπεξήγησις præcedentium. Non eruditam ſolùm, & grauem, non verbis cõmodam ſcriptionem eſſe debere: ſed vt conſoni mores perſonis ac rebus adſint, vt feſtiuitas, & lepos animos excitet. Si enim poëta imitatur, cuique ſua attribuet, morateque omnia, & conuenienter naturæ faciet. Si, (Hero) ne, ſubijcias, nihil de Erote, vel Herõe dices, quòd ſimile de Sileno conditione inferiore ſequatur.

Aut famam ſequere, aut ſibi conuenientia dicas.] Summa eſt in comœdijs τὸ ὅμοιον perſonis eſſe tribuendum, & vbique τὸ ὁμαλὸν ſeruandum: atque cùm alios imitamur, neceſſariò idem de illis repetimus, quando verò ignotas fingimus τὸ εἰκὸς appareat. Neque hoc mirum videatur in fabulis, cùm in heroicis quoque Homerum videamus ijs perſonis, quarum priùs mentio facta non erat, laudem, & præfationem addere, vt cõmendatiores deinde ſint, & quis non animaduertit nominum etymologias res ipſas,

&

&c euenta perſonarum ſignificare, æquè ferè ac epitheta ſolent? Hoc idem, ac totidē ferè verbis Ariſtoteles in poëtica. Quod enim obſcurū eſt, aut fieri nequit, ad ipſam poëſim, aut formam referendum. Quos enim nunquam conſpeximus, nunquam cognouimus, qui eorum meminerunt opinio ſequenda eſt. De hoc Achille ex Homero conſtat, ex Euripede de Medea, de Ixione, Io, ex Ouidio, & alijs. Quòd ſi aliquam perſonam nouam, aliorum fàbulam nunquam ingreſſam cōfingit, modò ſibi per omnia ſit ſimilis, ne nunc mitem, nunc omnino implacabilem, modò timidum, modò fortem introducas. *Philom.* Sed cur tantam varietatem Horatius in fabulis ponit, cùm ob eam prçcipuè cauſſam Plato odiſſe poëtas videatur, ac ſolos bonos imitandos præceperit? *Exeg.* Non aduerſatur Horatius Platoni, nec iſta confundenda dicit eadem in fabula: nā ex proprietate morum, perſonarum partes fabularum rectè ſeſe conſequuntur, ac etiamſi non laudabilia exempla, & perſonas addidimus, ad finem tamen bonum & vnum diriguntur, vt fabularum bona ſit forma, bonum exemplum. quì enim apud rudes ſolis bonis exemplis doceas, niſi contra-

ria ſimul conſpiciant? Turpe exemplum Therſitis ponitur, vt tanto maior Achille ſit auctoritas ex contentione. Non inutile, nec prauum eſt Aiacis flagelligeri exemplũ, & quæ varietas intercurrit, illa æquat, & contemperat. Quare ſi nudè Platonem accipias, mauult Ariſtotelem audire Horatius. Illud tamen nõ inficias eo, ineptos eſſe quoſdam, qui plus fabulis, & ſpectaculis nocent, quàm proficiunt, atque neſcio an immeritò quædam in Homero Plutarchus notet, vt *κακόζηλα*, præſertim dum adeò humana diuinis attribuuntur, quod & Plato, & Cicero non omnino probant. Exempla huius præcepti Græci ſuppeditant, Latina nõ extant, quæ cum his penitus quadrent.

Philom. Sed quæro ego, an perſonæ quales ſunt, ita deſcribundæ ſolùm, an detrahendum aliquid? *Exeg.* Imò verò idea virtutum & vitiorum in illis, exemplarque conſtituendum, vt monet Ariſtoteles. Si enim cuiuſmodi ſunt commemores, hiſtoriam videbere narrare: Si qualis ſimpliciter ea virtus ſit recites, philoſophi officio fungêre: ſi verò vtrunque, & ampliter etiam figmentis, & quæcunque addi ſimilia poſſint, excolas, denique poëtam te monſtrabis,

bis, quod in Achille, dũ quid ἀνδρία ſit depingitur, Homerus teſtatus eſt.

Difficile eſt.] Non ſufficit indicare an aliquis ſit imitandus, verùm etiam an aliquid poſſit imitatio, & in quibus, & qua via. Iſtud igitur præceptum occupatè, vnde materia ſit mutuanda, & quo modo, vt propria, non vulgaria ſint, patulaque, efficiamus. *Philom.* Aliquoties mihi hunc reuidenti locum, obſcurior eſt viſus, quòd commune, & proprium ſibi quid voluit, dubitarem. *Exeg.* Quoniam ſcripturus aliquid aliorum inſiſtere veſtigijs debet, oſtendit auctor materiam, & rationem tractandi à præcipuis deſumendam: vt etiamſi in quibuſdam eos relinquamus, tamen eruditi per indicia, & quaſdam notas ſimilitudinem deprehendant. Si materia igitur communis, & ſæpe recitata ſit, particulam eius operis, aut verſus tantùm aliquot excerpamus, eoſque in fabulam deducamus integram, ita ex 4. Æneid. Ouidius epiſtolas confinxit, Sophocles, & alij de Homero. Omnino enim dicere idem ineptum eſt, ac furtum, ſed aliter idem, ac in diuerſis quoque dicere, vt diſſimile in partibus, in toto quiddam ſit affinitatis, laudabile eſt. Itaque vt ſimplices & copulatas vo-

ces ex alijs linguis deriuatione, inuerſione, tranſpoſitione, literarum additione Latinas, aut noſtras facimus: idem in μεταχειρίσει, καὶ οἰκονομίᾳ præſtandum. Cùm Boccatij fabulæ noctesque leguntur, num Latine ſcribit? veruntamen tanta eſt verborum phraſis, dictionū μεταθέσεως, clauſarū ſimilitudo cū quibuſdam Latinis vt te Ciceronis narrationes legere dicas, etſi in fabulis eam grauitatem, & ſanitatem adhibere, quæ Oratorum contentio, ac forum requirit, nequiuerit. Difficile eſt enim quod omnibus probetur inexpertum, ac nouum argumentum, propriumque in vulgus edere: nec dici iam ferè quidquam poteſt, quod non dictum, vel indicatum ſit aliquo modo. Itaque ſi philoſophiam tractes, de philoſophis, ſi fabulas, ex Homero ſilua offertur, decorumque ſimul perſonarum, & ſexuum. Publica igitur materies, & communis, quæ circa patulum orbem verſatur, ſingularis, tuaque fit, ſi non eodem, quo alij modo, retuleris. Protei oracula, bucolica Virgilij nota ſunt omnibus, ſi tamen de partu Virginis Sanazarium legas, proprium opus dices. Nota ſunt quæ Homerus, quæ Virgilius in pugnis, & congreſſibus armatis narrant:

Scha-

Schacorum tamen Vidæ luſus proprius eius eſt,proprij de poëtica libelli.quod de foliorum, terræ, mariſque permutatione ſuprà Horatius dixit, nónne quibuſdam adiectis Homerica ſua facit? Ita Virgilius in Ætna varijs additis,& pręteritis illa Pindari expreſſit? τὰς ἐρεύγονται μὲν &c. nō minùs Virgilius in Mercurij nuncio in quarto diſſimulatione nominis λάρυ,quam Gauiam auem vocant, Homerum eſt imitatus? περίην ἐπιβὰς ἐξ αἰθέρος ἔμπεσε πόντῳ. Non ſecus Oratores ex Demoſthene, Cicerone partes confirmationum,narrationum ita repetere artificio, verbis alijs, ordinemque rei præſenti commodo poſſunt, vt vix,niſi aſſuefacto ſtylo, formam deprehendas. Non ſecus Terentius ex Perinthia, & alijs, vt prologi admonent, ſua habuit, ita Seneca ſuum Atreum; neſcio quàm feliciter. Ex noto igitur,vt poſterius dicet,ita fictum carmen ſequere, vt ſe quiuis idem præſtare poſſe dicat, rem tamen aggreſſus ſuccumbat. Atque ego iudico maiorem illos celebritatem mereri,qui quæ in medio poſita ſunt ita repetūt,vt alia videantur. Si caſus Æneæ ſummatim, & artificio ſubigas, inque fabulam redigas, plus ſimilitudinis veſtigijs laudis,

 quàm

quàm proprijs deportabis. Aiacem Maſtigophorum Sophocles ex tribus Homeri verſibus explicauit (nam ſi totam Iliadem, vel Odyſſeam tranſtuliſſet Ariſtoteli factũ non probaſſet in poëtica) Æſchylus in omnibus Homeri imitator, Virgilius ſuperat Apollonium in ijs, quæ tranſcripſit, par in multis Homero, Muſæi epiſtolas Ouidius æquauit: ſed ita retulit, vt eum nunquam legiſſe videatur. Lucianus quas fabulas Ouidij habet, plurimùm ab eo differt, atque non inutile fuerit eas iuuenibus cõferre, vt quid poëta ſit, intelligerent. Lucanus fuſior eſt Statio, & in ea facilitate comœdus, ſi cum Statio conferas, videtur, tragicum eſt filũ Statij, & impotens. Si quis Caſſandram Lycophronis alio genere carminis deſcribat, lucemque addat, vt quantum ille obſcuritati, tantum lumini alius inferat, ſibi Caſſandram dicare poſſit. Promethei fabulam Æſchylus quanto artificio, ex aliquot tantùm verbis aliorum, quanta varietate amplificauit? quis poëtam non agnoſcat, & nõ circa patulum orbem verſatum in re trita, & decantata fateatur? *Philom.* Num hodie æquè argumenta nobis nõ ſuppetunt, vt illorum fabulis opus nihil ſit? in his igitur no

ſtris

ſtris quis nomen poëtæ feret, cùm deſint aliena? *Exeg.* Non deſunt quidem argumenta etiam ſacra: ſed modus faciendi à paucis in veteribus notatus deeſt. Atque non tantùm reprehẽderentur quidam ſacrorum ſcriptores, ſi quantum verbis, & notitia religionis præſtant, arte quoque, veterumq́ue imitatione pollerent. Sed dum noua tractant, & præter actionem, & perſonarum numerum nihil adhibent, eruditis ſordent. Si enim comœdias, aut tragœdias appellare eas volumus, re quoque & diſſimulatione, figmẽtisq́ue cooperienda ſunt, & nominibus. *Philom.* Publica igitur communia vocas, & peruulgata, propria eadem quidem, ſed arte facta propria, vt ſi ex Polydori ſepulchro inuento, fabulam de vindicta diuina conficias? *Exeg.* Ac in primis chorus fabularum debet eſſe ſententioſus, & materiam ſcribendi innuere, atque cauſſas, cetera ſunt artificis.

Nec verbum verbo.] Duæ ſunt partes imitationis, rerum cũ tractatione, ac verborũ. Etiamſi enim artificio materiam occultes, niſi tamẽ oratio ſecus fiat, alia ſeries, & iunctura verborum, nemo poëtam vocabit. Si quid igitur de Homero ſumas, non rem ob-

obſcures modò perſonis, moribus, ſed etiã verba, vt ſi ſenſum & mentem ſis aſſecutus, ſatisfactum conſilio putes. Atque hæc in primis de Grçcorũ imitatione dicuntur, in Latinis enim laborioſum eſt ita tegere, præſertim melioribus. Quamobrem vitioſam imitationẽ arguit: modò enim exẽpli veſtigia conſtent, de verbis ſolicitudo nimia eſſe non debet. Exempla in Virgilij cum Homero collatione non pauca Macrobius, & alij aperuerunt, quem rectè Galaton pictor vomentem pingebat, reliquos verò poëtas eius cruditates haurientes. Quid Ouidius præſtitiſſet, ſi peſtis deſcriptionem eodem modo in Metamorphoſi quo initio Iliadis Homerus repetiuiſſet? leges igitur nobis ſequendas proponemus, quas relinquere audeamus, vt non aliena, & tranſportata dicantur. Sed tamen aduertendum, quando cum Græcis contendimus, atque gratiam facti, aut ſales, aut crudelitatis immanitatẽ Latinis adæquare ſtudioſè nitimur, vt quantum fieri poteſt, præeunti adhæreamus, etiam vocabulis faciendis, ſimiliterque coniungendis. Cùm enim in ſingulis linguis diuerſa ſit ex morum, ac regionum ducta ſuauitas, quod

apud

apud quoſdam facinus crudele videtur, minùs apud alios: ſi lepores illos, aut granditatem, vt ita dicam, exprimere vulgata lingua velimus, à noſtra diſcedamus neceſſe eſt, & quod poſſumus verbũ verbo exprimemus. Hanc ob cauſſam Virgilij exẽpla à Gellio recitata in ſalibus Græcos nõ aſſequuntur: atque iſtius rei vſus maximè in prouerbijs, apophtegmatibus, ſimilibus, cõparationibus vtiliterque venit. Horatius de verbis, quod de hominibus foliorũ comparatione Homerus dixit, atq; τὸ δημόσιον, καὶ κοινὸν ἰδιοποιητὰ fecit, itẽ de ſe ad Pindarũ ἀποσημαντικῶς ad Icari fabulam in oda alludit. Sed in omnibus perſonarũ cõditio, interuẽtus, caſus ortui cõſentiant, neque Achillẽ cõtra rijs à ſe diſſidentẽ, neque Neſtorẽ infantẽ, leuẽ, interdũ grauem adducemus, nec pro Achille, aut hũc pro illo ponemus, vt mox Horatius copioſius admonebit, atque hoc præceptũ ſæpiſſimè repetit. Cæterùm hæc non malè ad omnem ex alia lingua interpretationem vocaris, licèt alia mente ab Horatio dicantur. *Philom.* Ego ſemper Horatiũ putaui hoc loco præſcribere transferẽdi regulam, ſed quod poëma eſt proprium, quod ijſdẽ alia lingua verbis traduceretur?

Exeg.

Exeg. Exempla in promptu ſunt nimis a-
pertæ, ac tranſcriptæ quorundam imitatio-
nis, ſeu potiùs interpretationis, quæ niſi mo
leſta offenderent, adducerẽ. Sed de hac re,
quantum ſatis eſt, in noſtris de imitatione
dialogis fuit diſputatum, perge verba Ho-
ratij legere.

Nec ſic incipies.] *Philom.* Hæc non cohærẽt
cum antecedentibus, cùm particula tamẽ
(nec) id innuat. *Exeg.* Cyclici cuiuſdam ex-
emplum fumoſum, ac inflatum adducit:
nec is Cyclicos faciebat, qualium Ariſtot. in
analyticis meminit. Si inquit idem argu-
mentum tractes, quod alij, imitando vitia
non aſſumes, ac in ſimili parte operis, ex Ho
mero, vel alio ſimilitudinem ducere ma-
lim, quàm eius à quo res mutuor. Ac ſanè
hæc ad heroica pertinent, quorum compo-
ſitio grauis eſt, & μακροκωλίᾳ gaudet, nec
ignem ante fumum requirit, quomodò e-
nim promiſſum atque magnum carmen,
cuius omnes vires in principio conſumptæ
ſunt, fuerit? Operis igitur hexametri for-
mam exigit Horatius, qualis Homeri, &
Virgilij eſt, atque Ouidius ſuos transforma
tionum libros vix Horatio probaſſet. Craſ-
ſus in compoſitione periodorum μετρίαν
non

non laudat, ſed *μακροκωλίαν* vult, vt extrema in contentione feriant, idem de heroica ſcriptione iudicandum. Tragœdiæ enim temporis breuitati, atque comœdiæ obſeqũentes, vbique *τοῖς σπουδαίοις, καὶ ἀστείοις*, rebusq́ue ad neceſſitatem cõueniũt, nec productionem illam operis auditores ferunt in multos dies, nam vnius Solis conuerſione, vt Ariſtoteles ait, actiones terminantur. Homeri igitur modus, & Virgilij ſeruandus. Quæ enim in Virgilio ſunt, quia ex pluribus Homeri libris, & ſuis quoque de Auguſto rebus coacta ſunt, & conferta, denſáque apparent, faciliùs quid imitationis decoro ſimile ſit, conſpicitur. Amplior enim, ac diffuſior eſt Homerus, expolitionibus frequentior: vt Ciceronem Homeri naturam habuiſſe, Virgilium Demoſthenis non malè ſenſeris. Ad euitandum itaque faſtidium, ac ſacietatem, in opere lõgo multa differemus, nec præcipua in ingreſſu locabimus, ne reliqua ſint vacua. *Philom.* Quid Horatius in Cyclico non probauit? *Exeg.* Verbis nõ improprijs vſus eſt, ná canere propriũ eſt poëtarũ, bellum nobile fuit, res Priami dignæ memoria: ſed modeſtiam requirit, & *ὁμαλίαν* operis, deorum ac numinum ſen-

ſenſum, Silij Italici nimis humile quoq; videtur exordium, Ordior arma, &c. atque Horarius iudicat Cyclici exemplo, quomodò τὸ ἦθος ſcriptoris abſque offenſa rerum, ac diminutione tamen conſtare poſſit: Vt in denuntiatione argumenti res ipſas non ſtatim plenis, ac ſignificantibus verbis, ſed nonnihil circumſcriptis notemus, vt μῆνιν ἄειδε θεά. Arma virumque cano Troiæ qui primus ab oris, Italiam fato &c. Ita: Bella per Æmathios plus quàm ciuilia campos. Tumida ſunt illa in veſtibulo, Res Priami cantabo, nobile, &c. Nō enim vt Oratores initio animos ad victoriam attentos, ac deuinctos ſibi poëtę arripiūt, ſed in progreſſu delectando omnia dicunt, non minùs eſſet vanum, atque corruptum ſi ita inciperes: Quo res ſumma loco, voluant quibus omnia fatis, Numina.q; fit in παρῳδίοις, hoc eſt imitatione rerum praua, vel cùm alterius poëtæ verſus vna, aut altera voce mutata ſumimus, vt: Arma, genusque cano Romæ qui primus ab oris, Pannoniam fato eiectus, &c. Quæ hic denuò de ἠθοποιΐα Horatius monet, in aptitudine conſiſtunt, atque peccaſſe eius tempore multos neceſſe eſt, cùm toties idem iteret, atque caueat: non ſecus

ſecus hodie quidam hanc diligentiam in moribus, atque τοῦ ἁρμόττοντος cuique parti fabularum dandis negligunt. Semper in adiunctis, igitur, æuoque morabimur apto, hoc eſt, proprietatibus omnium circunſtantium cuſtodiendis, quæ rerum, perſonarũ ſunt, & ad hæc conſequuntur non modò ἰδίως, ἀλλὰ καὶ ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον.

Aut igitur res.] διάκρισις, ἢ προσδιορισμὸς vtilis de αὐτοψία, καὶ αὐτηκοΐα, e media opinione ſumpta, & Sophocle, τῶν μὲν προχθέντων ἄλγιστα οὐ πάρεστιν, ἡ γὰρ ὄψις οὐ πάρα. Cauet igitur, imitando res perperam ne deferamus. Quæ enim palam fiunt docere debẽt, atque ad vſum multitudinis quoque aptari, ne videantur abſurda, aut etiamſi facta ſint, tamen inſolentia minùs credantur, aut repręſentatione magis noceant, quàm proſint. Duplicia enim ſunt exempla præterita, & ficta. Quæ aduerſa ſunt miſerationem commouent oculis, quæ præteriere, aut futura ſunt, non item, vt eſt in 2. ad Theod. Prodeſſe ſtudeant poëtę, ac delectare: delectant veriſimilibus, omnino monſtroſis offendunt, atque horrendis animi vehementiùs turbantur. Ac multi peccant in ſuis fabulis, qui quod miſerabile tantũ eſt, exaggerant

tant terribili· vt ſi amicus pauper factus ſit, ac miſere fingi deberet,tu occiſum,trucidatumq́ue à filijs, oſtendas matri vel ſororibus. Quocirca cuiuſmodi recitanda ſint,vt credantur, & ſimul placeant, prouidendũ, quo ſpectatores τὴν λύσιν, & aulæorum detractionem expectent, plauſumq́ue audiant. Ariſtoteles,vt ſuprà monebam,rectè nos famam ſequi, aut poeticum in his morem vult, atque minus peccari in ijs, quæ nunquam fiũt,modò veriſimilia ſint,quàm quæ acciderunt, nec commoda ad credendum apparent. Vt ſatius eſt Medeam fingere occaſionem habuiſſe aliquid in ſuos patrandi,quàm eam crudelitatem oculis ſpectatorum ſubijcere. Quis enim facilè credat in eam inſaniam, atque furias muliebrem ſexum ferri poſſe? Credibilius eſt ſocios Vlyſſis in ſues conuerſos delitijs,in quibus volutabantur, etiamſi non acciderit: Æſculapium Romam Epiro vocatum, inq́ue ſerpẽtem mutatum propter medicam rationem faciliùs impetraris, hocq́ue eſt, quod è metaphoræ tribus generibus, quæ proportione ad rem fit, etiam Oratoribus frequens ſit, vt ſi ſenectam in ſtipulam mutes,ſi iuuentam in florem, ſi omiſſis pręcipuis

cipuis ciuitatibus, regnum luſcum, vel exercitum mutilum dicas, gubernatorem nauclerum. Cùm igitur non ita communia finguntur, reliqua, vt ad credendum inſeruiant, inſtruenda ſunt, vt ſi probabile facinus Medeæ cædem efficere velis: muliebrem ſexum longè ferociorẽ, vbi iræ metas tranſgreſſus eſt, quàm viros confirmes, atque feris compares, quæ nulla ratione moderari impetus, vbi furore corripiũtur, norunt, ita Cyclopis magnitudo effecta eſt, vt quiuis ex eius mole, quæ illi adſcribuntur, præſtare potuiſſe credatur. Atque danda poëtæ opera in ſimilibus, ne quod cuidam parocho, vt vocant, in ſua ditione hiſtoriam quinque panum, atque ſaturatorum explicanti eueniat. Cùm enim rei admiratione, atque inuſitato, humaniſque rebus inaudito exemplo plebem ſubmurmurantem obſeruaſſet, atque ſibi de mendacij ſuſpicione metueret, addidit, fornaces id temporis tantas fieri ſolitas, vt centuplo noſtrates excederent amplitudine, atque cautum fuiſſe, ne plures vno pane ſemel coquerentur, aut clibanus caperet plures. Quo colore, atque ficto epilogo mentes illorum ad maius prõptas ſedauit, ſed hæc ioci cauſſa.

Neue minor quinto.] Hæc quoque ad τὸ ὡς faciunt, καὶ οἷς, atque totum hunc libellum fabularum gratia factum, facilè colligitur, & vbique Ariſtotelis ſententia apparet: ſi modò is liber Ariſtotelis eſt, verum doctiores conſentiunt. Cæterùm hæc latiùs, qui de metrica ſcripſerunt, & ipſe Donatus, & ſimiles, non pauca etiam Plutarchus tractat: ſed vt Græca ſunt, ita cum Latinorum exemplis, Plauto præſertim non congruunt. Videre etiam potes Scaligerũ, qui etſi ſuo, proprioque iudicio nimiùm eſt criticus, nec ſemper verus, multa bona tamen habet, quibus iudicium formare poteris, atque partes tam neceſſarias, quàm non neceſſarias fabularum, generumque cognoſcere. Hîc obſerues Ciceronem tertium actum perfectiſſimum, tanquam extremum vocare, cùm quartum fuiſſe ſit credibilius. Deum verò introducendum parciùs, & niſi in grauiſſimis, & inſperatis rerum euẽtis, notandum eſt. Ita in dubijs explicandis Ariſtoteles Anaxagoram ad auxilium Deorum in metaphyſicis recurriſſe ait. Ariſtoteles quoque non adhibendos, Donatus contrà voluit: ſed cum Cicerone de nat. Deorum primo ſentio, in tragicis non reprehendi, in

co-

comicis præter fieri decorum, licèt alioqui πάντα ἀποδίδομεν τοῖς θεοῖς ὁρᾶν. Atque hæc potiſſimùm ad exitum fabularum pertinet, vt non ἀπὸ μηχανῆς, ſed iuſta, certaque morum ſerie conſequantur, etſi Iliad. ſecundo ἐν τοῖς περὶ ἁπλοῦν non ita ſeruatum ſit, & conceditur in ijs, quæ non ſunt συστάσεως, ſed τῶν ἔξω τοῦ πράγματος. *Philom.* Audi ſecundam perſonam, ab Æſchylo, tertiam à Sophocle additam. Cur quartam perſonam excludit? *Exeg.* Ne confuſio multitudinis loquentium auditores impediat: quod ſi accedat interdum, minimum, aut nihil loquatur: Ita Glycerium actu tertio ſilet, & in quarto Myſis, Plautus extra has leges ſe poſuit, vt etiam alias comœdiarum. De chori officio exempla Græcorum, prǽſertim Sophoclis ſunt luculenta, nec à decima perſona quindecim excedit, vide Horatium in ſecũdo epiſtolarũ: Chori comes erat Melopoëa, eiusq; locũ quaſi ſupplebat. Latini choris ſunt priuati, nam cũ tractent comœdias, illæ per ſe ſunt leues, & ἠθικαὶ, atque διδασκαλικώτεραι. Hæ verò nouem leges chori, qui ex varijs hominum generibus copulatur, non omnes vna in fabula neceſſariò expromuntur, ſed materia; atque officium

 co-

eorum indicatur, ꝙ in γενικωτέροις, & θετικοῖς occupati ſint, quòd ad lenitatem iratos, ad manſuetudinem feróces, ad tranquillitatem turbatos, rudes ad cultum, vagos ad ſocietatem vocent: horum vt materia, ita quoque elocutio eſt ſuauior, & ornatior, atque ad ſtylum iuuentutis commodior, idq́ue eſt quod Horatius ait facundiam eius oraculis ſubitò adæquatam, non ſecus, ac inſtrumentorum, ac τῆς μελοποίας rationem imperio, ac luxu, magnificentiaq́ue theatrorum excultam.

Tibia non vt nunc orichalco.] Iuncta nó (vincta) lego, id eſt ſono tubæ æmula facta, id enim iungere ſignificat, non è duobus compoſitam, aut redimitam, vinctamq́ue orichalco: ſed quòd eo artificio, ac foraminibus, ea amplitudine vocis facta ſit, vt iuncta tubæ vix ab ea diſcerni potuerit. *Philom.* Quid hæc ad rem? *Exeg.* Quemadmodum chorus rem componebat, animosq́ue, & oculos auditorum remittebat: ita Muſica interpellabat cõtentionem ſpectaculi duodecim tabularum quoque permiſſione: vel potiùs ipſe chorus interim canebat in veteri comœdia. Pars igitur eius intercinens, interloqués altera viſebatur: ſed olim tibiam

ſim-

ſimplicem,non ornatam fuiſſe ait,pro multitudinis,ac theatri capacitate ſonum edentem, poſteriusque πλάσιν,ſeu πλάσμα acceſſiſſe,vt Theophraſtus habet in 4 de cauſſis plantarum, & vbi Quinctilianus de lectione virili agit. Ac digreſſio ſimul eſt de luxu ſui temporis, & pompa ludorum, per ἀντίθεσιαν ad veterum frugalitatem. De tibiarum generibus lege Pollucem in quinto. Simplex enim erat primò,& vnica,mox duæ aduerſæ,atque tertia addebatur,& ἐμπνευστικῆς ars conſtituta, vide 6. Faſtorum, ac lege, vt dixi,Theophraſtum,vbi de loco, materiaque tibiarum,& ex quibus τὰ ζεύγη fiant docet: qui locus aperit nobis quid pares fuerint: atque in numo antiqui operis M. Aurelij habeo qui ſiniſtram, & dextram inflat pro votis & ſalute reip. Sed vituperari, ſi modò fiant, huiuſmodi ludorum adminicula non debent: de ludorum verò nimio luxu, & impenſis non neceſſarijs aliter iudico, ad bellum enim neceſſarium,vt Demoſthenes in Olynthiaca ſuadebat, aut pauperibus eorum ſumptuum pars diſtribui poteſt. In Italia multus, & non ineptus eſt ſpectaculorum vſus, atque vetuſtatem quandam redolent, cumque vitiorum li-

bertas apud eos maior ſit, quàm apud nos, nec admonitiones priuatas amice ferant: laudo cõſuetudinem fabulis notandi Principum,& rerumpub.abuſus. Vtinam tantis apparatibus Romani principes aliquot mores correxiſſent, nec ad oſtentationem Amphitheatrum auro inducendum Nero magis, quàm ad erudiendum curaſſet. Ædiles olim paſſim ad ludos, quibus placere ſtudebant, ornaméta etiam, ac veſtes per vrbem mutuas ſumebant, ac interdum non reddebant, quod in Verrina Cicero de ſignis annotauit, ac 9. epiſtola ad Atticum. Sed de theatris, amphitheatris Plinium, Tacitum, Vitruuium, & alios legito, & Martialis de Domitiani illo ait:

Omnis Cæſareo cedat labor amphitheatro:
Vnum pro cunctis fama loquetur opus.

Poſtquam cœpit agros.] Per quingentos & quinquaginta octo annos ſenatus populo miſtus ſpectaculo ludorum interfuit vt notat Valerius. Diurnum vinum reprehẽdit, hoc eſt comeſſationes. Soclerus enim apud Plutarchum vltimo problemate ait infamiæ loco habitũ, ſi quis ante cœnam quidquam comediſſet, idque eſt diem ſolidum frangere, ſeu à mane ad cœnas epulari. Sue

tonius luxuriæ Vitellij tribuit quòd epulas trifariam, interdum quadrifariam ſit partitus : verùm nota inter Palamedis inuenta celebria Æſchylum adducere quod is διώρισεν ἄριστα δεῖπνα, δορπαθ᾽ αἱρεῖσθαι : ſed hoc ad tuendam valetudinẽ, non ventrem ſaginandũ fiebat, vt vicibus pauca prodeſſent.

Carmine qui tragico vilem certauit ob hircum.] Etymon tragœdiæ controuerſum eſt. Vide Athenæum in ſecundo. Ariſtoteles à vindemijs, & feſtis Bacchi ortam, dithyrambisq́; monet, ideoq́; ἀτρύγετον mare dicitur, & ἀζυγέτης ſine vino. Virgilius in 2. caprum pro hirco ponit. Atque hircus ſymbolon fuit libidinis, vt ex Adriani Antinoo quoque apparet, vnde facilè ex Baccho Venus ſuſcitatur : atque eam ob rem, & quia ijſdem, hoc eſt quadratis numeris olim fiebant, & ambæ in ſcena proponebantur . Fortaſſis Horatius in tragœdias ſatyrica admittit . Plinius autem de ſatyris etiam hiſtoriam, & Pauſanias ex Euphemo quodam recitant, qui ſatyrorum inſulam in Hiſpaniæ quadam parte repererit.

Vilem certauit ob hircum.] Vilem, propter lanam inutilem, vel fœtorem vocat, luxumque : hinc Græci ζαγᾶν vitium inutilem

luxum dicunt, quod veteres hirquitari, & hirquitallos inde pubeſcentes vocabant. Cæterùm vt pręmia erant diuerſa victorũ, ita apud Theodoretum in de materia & mundo legitur dithyrambos Baccho, Cereri iulũ, Rheæ lithyerſin cantari ſolitam. Atellanæ verò Latinorum propriæ, nimis fuere liberæ, ac ſatyricis proximæ, vt Horatius in ſatyra docet. *Philom.* Sed quò hæc de tragœdia, & ſatyris doctrina pertinet, debent'ne miſceri, an verò diſciplinam ſatyrarum Horatius ſeparare voluit? *Exeg.* Rectè dubitas. Meminerat ſuprà ἀυλητικῆς, nunc etiam leuiter ſatyrica eſſe in fabulas introducenda, ſeruato tamen omni decoro rerum, ac perſonarum concedit, vt recreentur auditores: atque ſalacia & libidinoſa prohibet, & τὴν αἰσχρολογίαν, atque ne orationum formæ turbatæ ſint, heroicæque res ſuum pondus & auctoritatem retineant, ſatyræ tantùm condiant, iubet. Phalereus quoque περὶ γελόιων tractans, & ἐυχάϱιτος hæc ſatyris, & comœdijs permittit, minimè tragœdijs: niſi dramata ſatyrica intelligas, vt Horatius, cuiuſmodi vnicum ferè exemplum eſt Cyclopis apud Euripedẽ, alia enim neque apud Græcos, neque Latinos video:

for-

fortaſſe olim fuere,ſed interciderűt: niſi velis Ariſtotelis ſententiam Horatium velle interpretari,non à ſe loqui: ille enim annotat initio nimiam communitatem tragœdijs cum ſatyris fuiſſe, poſteà ὄψε ἀπεσεμνώθη. Ideoq́ue Horatius,ne ad priſtinum morem confuſio redeat,præcipit grauitate mu niendam. Atque hæc mea interpretatio mi hi ipſi non diſplicet. Etenim poëtæ τὰ δυνατὰ κατὰ τὸ εἰκὸς cùm tractẽt,ἢ τὸ ἀναγκαῖον, nõ vt res eſt, in epopæis nugas quoque videmus recipi,qualia in Virgilio ſunt Polydori ſepulchrum, naues in Nymphas mutatæ. At quia tragœdiæ res ſerias tractant, hæc reijciunt, è comœdijs tamen non ita excluduntur: quare ſatyricis, ac omnino ludicris tragica nõ ſunt cõmiſcenda,& διονυσίων τραγωδῶν κοινῶν meminit quoque Demoſthenes de corona, & alij compoſitarum fabularum. Sed hunc ego locum abſque iniuria ſententiæ auctoris de ſatyris ſcribundis etiam intelligerem,qualis earum ſtylus, cuiuſmodi eſſe debeat materia, etiam à tragœdijs ſeparata. Qua de re Franciſcus Robortellus eruditè diſſeruit,atque cum poëtica Ariſtoteles coniunxit. Ex ſatyris fieri tragœdias quis dubitat, cùm magni quoque

que viri & Principes corripiantur? *Philom.* Cur decorum numerorum in tragœdia nō ſeruatur?nam familiari metro,& comœdijs proprio conſcribuntur. *Exeg.* Auditorum quoque ratio habetur, ſermonisque eorū, non ſolùm rerum. *Philom.* Atqui legimus apud Ælianum Dionyſium factitaſſe,ornaſſeque tragica, & dramata propter iocos, odiſſe verò comœdias vt ineptas iocis; cùm nos contrà ſentiamus de vtraque. *Exeg.* Arduæ quoque res perſonarum tractantur ratione iocis, ac lepidis. quòd ſi per ſe præcipuum argumentum fuiſſet φαῦλον & humile,iocique accederent,tanto tyranno digna dramata vix fuiſſent. *Philom.* Quid verba dominantia vocat? *Exeg.* κύρια,ſignificantia,vſu recepta in eo argumento. temperandam igitur orationem verbis ſatyrarum, & ſatyras tragicorum putat: nec ita vni ſeſe dedendum ſuperſtitioſe,vt in cognatis, extra nomen fabulæ non ſit licitum verba efferre. Virgilius vel in bucolicis nonnihil cùm opus eſt, aſſurgit & Theocritus in Ptolomæo: Cùm vitam ruſticam laudat, plus quàm georgica dicit. Si ſatyras Perſij expendas, quædam vel tragicorum reprehenſionibus digna conquiras. Iuuenalis vel Horatio

tio remotior. Tragœdiæ ſolius Senecę legũtur, quẽ ego tantũ artificem non exiſtimo, vt hæc in eo videas, neque ſeparata, neque coniuncta, & ob ſententias comicum, & philoſophum dicas: atque hoc ſolo Græcis præferendus, quia θετικὸς eſt valde in ſuis choris, & aptus ad materiam declamationum.

Syluis deducti caueant.] Hæc ad ſatyras pertinent, nam choris & Fauni, & ſatyri nudi adhibiti ſunt, minusque pudici: poëtis danda opera, ne hæc multa in fabulis, aut nuda ſint, præſertim in ſerijs. Oratores quidem feſſis auditoribus, aut ad minuendum conceptum præiudicium apologos, fabulas veriſimiles in exordijs ponunt, per inſinuationem: At poëtis minus, niſi in progreſſu, & reficiendis ſpectatoribus intentis, velut melopæa licet. *Philom.* Quid tragœdijs cum Faunis, & ſatyris? *Exeg.* Dixi non diſſimilia eſſe omnino argumenta, ſed artificium diſſimile, modeſta enim ioca in grauibus quæruntur ne ſcurrilia fiant, atque ad delectationem ſolùm res heroum, non etiam docendum introductæ videantur. Quamobrem tragœdiæ etiamſi Faunos, & ſatyros admiſerint, tragicè tamen recipiant, nec

laſciua

laſciua ſint: neque tamen etiam penitus veſtibus, & ornatu tegentur ita, quin Fauni fuiſſe agnoſcantur. Quippe ad delectationem quæ fiunt, nonnihil tractatione quoque remittuntur, quod & Platonem in ſuo ſympoſio obſeruaſſe apparet. Omnia tamẽ in primis ad moderationem, ac iudicium auditorum quoque exiſtimanda, μέζον γὰ τοῦ λόγου οὐχ ὁ λέγων ἐςὶ, ἀλλ' ὁ ἀκούων. Exodia enim venuſta eſſe oportet, hoc eſt quidquid præter argumentum ad ludum, & riſum fit, atque ita mihi videtur hanc vocem ἐξόδιον Liuius in ſeptimo accipere, non vt poëtæ ſolent. Iuuenentur Græcè dixit, νεανίζωνται, vt ψυχαγωγεῖν animum agere. Decorum igitur in omnibus tenendum, quod in tribus conſiſtit, ſi moueant, doceant, atque commoda rebus, & argumento ſint. Vrbana ingenioſi ſunt, doctrina propria cognitionis eſt: Horatius mediocritatem ſatyrarum poſcit, Ariſtoteles abuſum damnabat.

Quibus eſt equus, & pater, & res.] Niſi vulgata hæc lectio eſſet, & ex ordine triplici Romanorum defenderetur, mallem verſum ita legere: Offenduntur enim quibus eſt æquus pater, & Rex. Hoc eſt, in quibus ſcintilla

tilla virtutumq; eſt, ac pietatis, quos modeſta natura formauit, facilè turpibus, nimiſque liberis abiguntur. Ideò ſubijcit nõ omnes ijſdem delectari. Si enim vile genus hominum cicere fracto in theatro emendo delectatur, ac nucibus, vel ſi de his, & de leguminibus alijs fabulam cõſcribas, alij quibus iudicium grauius eſt, his nugis non acquieſcent. Nam vt Ariſtoteles tradit, animalium quoque differunt voluptates, Heraclitus enim Aſinum ſtramen auro prętuliſſe ait, & huc alluditur 10. ethicorum, qui viliores ſunt, in ſpectaculis magis bellarijs edendis, quàm ſerijs ludorum oblectari.

Philom. Igitur hæc quoque ad τὸ πρέπον referuntur, atque habendam rationem omnium ordinum cenſet, vt omnes aliquid è fabulis & diſcant, & inuolucris illis afficiantur? *Exeg.* Ita ſanè iudicat, ac verè noſter auctor. Omnia ſunt accommodanda generibus auditorum, & quæ adducuntur modeſta ſint, credibilia, neminem grauiùs lædant, pariter ſint grata. Docemus enim τοῖς πιθανοῖς σαφέσιν, καὶ συνηθέσιν. Oſtendat poëta ſe temperatis eſſe moribus, non acerbũ, ne metuant, ac oderint alij. ἐστὶ γὰρ τοῦ ἤθους τις ἔμφασις ἐκ τῶν γελοίων, ἢ παιγνίας, ἢ ἀκολασίας: ſcom-

ſcommata minuunt exiſtimationem. Nota verò differentiam eſſe inter ὕβριν, σκωμματα, inter εὐχαρι, ἡδὺ, εὐτράπελον, ἀφροδίτην, εἰκασίαν, vt etiam apud Latinos eſt inter venuſtum, pulchrum, conuitium, maledictionem, facetum, vrbanum, ridiculum, &c. de quibus ſingulis ſuo loco.

Syllaba longa.] Iambum dixi λεκτικὸν Græcis, hoc eſt colloquijs, rebusque ex conſuetudine tractandis aptum, atque ideò iambici verſus ἀπεμφαίνοντες dicuntur, hoc eſt vix verſus, vt dubitari poſſit num Plautus, & Terentius vllos numeros ſint ſecuti, aut poëtæ dicendi. Sed tamen à ſcenicis ἰαμβοποιοὶ differunt, qui anapeſtum nunquam reciperent. Nobiles trimetros per εἰρωνίαν vocat, hoc eſt, adeò tritos, & paſſim recitatos, in quibus vix iambum offendas. Abuſi igitur licentia ſunt, qui vbique grauitate ſpõdeorum ſua onerarunt, nec ideò excuſandos putat, quia potuerint impunè facere, aut quia nullam ex ſcriptis laudem ſperarint, iccirco non etiam reprehendendos ſeſe dixerint: non enim quia laudem non aſſecuti ſunt, ideò extra culpam ſunt. Sciendum etiam, teſte Ruffino ex Herodoto, & Triclinio omnes verſus binis pedibus menſurari

ſurari ſolitos, præter dactylica oracula. Atque hæc de pedibus admonere Horatium ne mirere, cùm Ariſtoteles ab ipſis elementis vſque incipiens, de oratione in poëtica, vt grammaticus, omnia comprehendit. Sed qui pedes quibus ſyllabis, qui verſus quibus cõſtẽt pedibus, alibi docetur. *Philom.* Nimiũ Græcos mihi extollit Horatius, ac videtur, quo multi ſua ſolent negligere, peregrina quęrentes, morbo laboraſſe. *Exeg.* Meritò in fabulis eos in cælum vehit, ac miror Latinos adeò tragicam ſcriptionem præterijſſe. in comœdijs duos reſtare, etſi non neſciam multorum lucubrationibus iniuriam temporum memoriam, atque vitam eripuiſſe. Libertatem ſatyricam videmus largiorem fuiſſe, ac plus quàm comicam veterem illam. Rectè itaque à contraria Græcorum induſtria leuitatẽ Latinorum notat, atque nullo modo errorem communiter excuſandum putat. Atque ſine dubitatione, Græcos verbis, arte, rotunda pronuntiatione καὶ εὐστομίᾳ, motuum generibus, conſuetudinũ indicijs longè ſuperiores Latinis eſſe credito, idque norunt, qui temporum rationes, præmia talibus conſtituta ſcriptis conſiderant. Quod autem ore rotundo ait,

Quinctilianus idem commendat: ſed hũc ego locum ad fabulas refero, etenim in comœdijs cùm aliqui notabantur, atticiſmo id fiebat, καὶ πικρῶς erant ἀττικίζοντες: quòd ea lingua συνεστραμμένον τι ἔχει, καὶ δηκτικὸν ταῖς τοιαύταις εὐτραπελίαις, vt Demetrius habet. Quis Ariſtophanem gratia, puritate, ac ſimul aculeis de Latinis aſſequitur? quis Pindari altitudinem? De Homero quidam opinione dubia ſunt, num Virgilio ſit excellentior. Sed ſi proprietates vtriuſque linguæ iudicibus tam eſſent notæ, quàm dubitatio prompta eſt, aliter ſentirent. Qui Æſchylum, Sophoclem, Euripedem artificio, & Græcis inſita quadam ad fabulas diligentia æquarit, nemo prodijt. *Philom.* Atqui hodie quidam maiora ſperantes nouo genere, ac Latinis non vſurpato auſi ſunt odas, & ſimilia conſcribere, idq́ue cum approbatione multorum, iudicioq́ue intuente poſteritatem aggreſſi videntur, floſculos omnium Græcorum Latinis communicantes. *Exeg.* Scio quos putas id conſilium præclarum cœpiſſe, Iampridius enim, Augurellus, Auratus noſter, pedes extra fines aliorum extulerunt, ac quod tentarunt, non malè ceſſit. Sed vita ſi lõgior prioribus duo-

bus

bus fuiſſet, nondum ſe in eam partem laudis veniſſe denique cõfeſſi fuiſſent. De Aurato magna ſpes eſt, qui Græcorum facultatem non modò cum Latinis confert, ſed quid è Latinorum exemplis adhuc fieri amplius poſſit, notare ſolet. De quibus Terentius, & alij ſua mutuati ſunt, nihil iudico, nam non extant, ſed ſi duces ſuos anteiere, magna illis gratia eſt habenda. de Oratoribus obſcurius iudicium : ſed Quinctilianum ſi audiamus, haud pauca incideret in Cicerone, in Demoſthene licèt digniori, ac preſſiore quædam mutaret. *Philom.* Quid igitur in ſcholis prælegu̇ntur poëtæ Græci, virtutes ſi non agnoſcimus tantas, aut imitari eſt negatum? *Exeg.* Id eſt quod ſæpè deploro, linguarum ſtudium adeò vigere, plenas eſſe omnes ſcholas Græcis auctoribus, nec tamen præter vocabula quidquam excuti, ea non habere admirationem quæ egregia, illisque propria ſunt. Quamuis enim voces penitus cognoſci abſque artificij rerũque compage vix queant, tamen quia interpretum leuium tantùm grammatica obſeruamus, qui inertes ſatis interdum ſunt: à maieſtate illa procul diſcedimus. Sophoclem inſignem ſcriptorem, &

quo nullus maior philoſophus, nullus orator, nullus poëta eſt, manibus terimus, proponimus ad grammaticam pueris, vbi flexionum Grçcarum didicere varietatem, nihil prætereà in eo quæritur. Quod ſi tantùm aliquot ſententias excerpendas arbitramur, cur Græcos inſpicimus, nónne Latini facti idem ſuppeditabũt? ſed hæc prolixius adieci dolore, atque tantorũ auctorũ fraude. Sunt tamen noſtra tempeſtate viri longè ſuperiori ætate acutiores, qui ſi velint, ac non grammaticum id eſſe opinarentur, egregiè præſtarent. *Philom.* Non igitur Plautum, & Terentium Græcos ſuperaſſe iudicas? *Exeg.* Vterque bonus eſt, ac familiaritate notus, vtrunque Cicero eſt admiratus, neque his puriores, quòrum partis ſeſe locupletiorem fore ſperaret, habuit: nec inferiores eos Græcis ſuis pronuncio: ſed plus hos miraremur, ſi Græcos rectè teneremus. Ab Horatio in Lucilio diſſidet Quinctilianus: ſed Horatius comparatè ad Græcos, ſales Plauti, ac vetuſtatem ridet: atque hîc non (noſtri) ſed (veſtri) lego. Horatio tamen reſponderi poteſt, Ennij, & Plauti, Punicisque illis temporibus fabularum vſum tot iocis, ac ſalibus nõ fuiſſe aſperſum,
cum

cum imperij finibus, Græcorũque frequentatione omnia cultiora facta. Quid Cecilius ex Menandri Plotio præſtiterit, neſcimus, Virgilius multis inferior ſalibus olim putabatur, vt Gellius in 2. cap. 23. recenſet. De ſalibus Cicero ad Q. fratrem ſatis commodè diſputauit, & alij quos videas: γελοῖα tamen ſcias rideri, τὸ εὐχαρι delectare. Nec tamen negarim quamuis gentem ſuos, ac proprios habere ſales, fabulas, & quæ de his dicuntur, prouerbia, apophtegmata, quæ aliô tranſlata gratiam, & acumen amittunt, vt ſi Græci quædam Latina dignati eſſent Athenas vocare, non omnino Latinorum more idem dixiſſent, etiamſi ſuauius fortaſſe additione, vel ſimili reddidiſſent. Ciceronem ego non dubito complecti voluiſſe Plautum quoque illis ad Pætum verbis: Accedunt non Attici, ſed ſalſiores, quàm illi Atticorum, &c. & ſi Varronis de eius ſcriptis opus extaret, fortaſſis ab Horatio diſſentiremus: quò ad latinitatem, ſi vetuſta linquas, atque locutionum formas, cum melioribus cõferas, propius eum vel Terentio ad elegantiam dices accedere, atque Cæſari diſplicuiſſe non videtur.

Ignotum Tragicæ.] Hæc ortus, atque incre-

mentorum ſunt tragœdiæ, apteq́ue de Latinis iudicio facto ſubiungit: Theſpin auctorem ferunt cum Horatio multi, Suidas præſertim. hunc præcipuum fuiſſe, qui ea ſit delectatus Ariſtoteles quoque affirmat, & Plutarchus. De plauſtris igitur fecibus ora oblitis ſuas fabulas recitabat, vt per vicos eas vectando exaudirétur, eiq́ue conſuetudini Solon fauebat. Atque meo iudicio non parum, quorundam reprehenſione, ciuibus vtilitatis afferebat. In theatris enim quæ recitantur ad omnes æquè pertinere videntur, nec ſeparatim cuiuſquam vita notari obſeruatur: at hoc modo credo vicorum habitatione, atque incolis diſtributas fuiſſe notas, & conuitia tecta. Æſchylus deinde, & Phrynichus perſonis, & honeſta palla, quæ propria tragicorum erat, è vicis in vrbé de plauſtris, in pulpita tignis munitam, cothurnisq́ue altioribus Sophocles ornatu ſcenico excepit, quibus quid tribuat Quinctilianus, vide in 10. De tragœdijs iudicium Didymi, cuius Macrob. in 5. meminit, non habemus. Huic veterem, quam tunc appellabant comœdiam, ſucceſſiſſe ait, hoc eſt maiorem conuitiandi poteſtatem, vt ex Ariſtophane apparet. De Eupoli, Cratino, & Lu-

cilio nihil reſtat,de quibus ſatyr.4.libri primi. Triplex igitur comœdiarum fuit ratio, atque conſuetudo. Vetus enim à tragœdia illa temperata, & modeſta facta eſt elatior, atque nouis verbis ſtudioſa fabricandis, ac numeris. Noua deinde ſine choro conducto modeſtior, ob rempublicam tyrannide mutatam,& Attica proprietate inſignis veteri cohibita licentia introducta eſt, ſub tẽpus Alexandri Magni,illa bello Peloponneſiaco. Tertia quoque intermedia ætate fuit, ac ſtylo ἀμφοτέροις ἐξοῦσα. Cæterùm Ariſtoteles de comœdijs dubitat,at poſteriùs exculTas ait,fortaſſe ob chorum veteris.idemq́ue in 4. Ethicorum narrans meminit, quæ non eadem cum νέᾳ eſt,ἀρχαίαν παλαίαν vocat. Meritò autem Homeri auctoritati fabularum materia tribuitur, præſertim tragœdiarũ, vt Epicharmo comœdiarum. Atque in Dionyſiacis comica, & tragica, choroſq́ue celebrares ex Nonni liberalibus, & prima Demoſt. Philippica indicatur, nouæ autem comœdiæ erant Menandri, Philemonis,Apollodori.

Data lex.] Cohibitam licentiam veteris, ac ſublatam, ideoq́ue Eupolim Cicero de ſaxo præcipitatum ait,& factũ de hac quod

de Atellanis colligi ex Valerij ſecũdo libro poteſt, nõ enim tales initio eas fuiſſe credibile eſt, ſed licentia propria deſciuiſſe. Itaque ne quemquam nominarent, ne fœdius lacerarent mandabatur: ſed Latini, qualis Perſius, Iuuenalis, & Horatius, illis intemperantiores contumelijs ſunt, & quidam epigrammatarij: ac noſtro hoc ſæculo ferè mos ijs inceſſendi redijt, multorumque occupauit animos. In Italia omnia grauiora, nec immeritò, ſed multi hanc ſuis licentiam de ſe loquendi permittunt, vt nõ ſe omnino tyrannos monſtrent, non quòd vitioſa corrigere in animum induxerint. Memini cùm Lutetiæ degerem, ſcribas & librarios palatinos ſolenne feſtum planè impudicum, ac liberum celebrare, quod illi *baſoche* vocant, non aliter, atque Athenis Eleuſiniorum myſteriorum tempore, vbi in ponte ſedentes velata facie ciues, ac optimates quoſuis allatrabant, vt Heſichius, & Plutarchus in Sylla meminit, inde γεφυρίσαι, καὶ γεφυρίσματα dicta.

Nil intentatum.] *Philom.* Hęc pugnant cum præcedentibus, vbi Græcos præferebat. *Exeg.* Minimè verò. Iſthic enim de artificio, ac diligentia, non inuentione loquitur: po-

poteſt enim inuentione quis præſtare, cùm parum arte valeat, ars verò eandem inuentionem diſſimulare, vtque differens videatúr à ſe ipſa, efficere poteſt. Quocirca Latini domeſtica ſua, & ſingularia habent, nec opus externis (vt Cicero quoque meminit de oratorum exemplis) fore ait, ſi limam, ac iudicium Græcorum in edendis ſuis adhiberent. Valerius in 2. longè poſt Græcos ſcenicos ludos à Romanis repertos memorat, deinde ſatyris argumenta præbuere, ac Latinorum quoque duplices fuere ſcenæ, prætextæ tragicæ, & comicæ togatæ, idque eſt quod ait domeſtica facta. Cicero in prima Tuſculana ſeriùs poëticā Romanos accepiſſe tradit. Feſtus togatas & prętextas argumento nonnihil differre ſubindicat, vt illæ ſenatorum, & maiorum gentium, hæc puerilium ſit: palliatæ ſunt habendæ etiam Latinæ quę ortu Græcæ ſunt, vt Terentij, Plauti fabulæ. Sed quare Latini poſterius ſint inueniendis nouis conſecuti, cauſſam credo fuiſſe inſolentiam nouorum, & vſu firmatam Græcorum, vulgatamque recitationem: metuebant enim Latini, ne nouitate quemquam offenderēt. *Philom.* Probas'ne hodiernum in ſacris, & nouis fabulis

morem? *Exeg.* Quid ni? cur ſi artem candem rebus noſtris addamus ad vtilitatem multa excogitare non liceat? præſertim vulgari lingua, quæ non minùs atque Græca, & Latina ſuum genium habet: ſed præcipuum eſt, vt mora, & iudicium aliorum feratur, nec furore poëtico ſimulato, quidquam præcipitetur. Stulti enim ſunt, qui certis horis tantùm ſe ἀυτοσχεδιάζειν poſſe affirmant, nec poſteà quid effuderint, meminiſſe, nec limam diuinitus factis adhibendam. Ego verò ſanitatem, & conſtantiam iudicij ad emendationem pertinere puto, atque ſi velimus, veterum veſtigijs, & arti inhærentes, nouis argumentis excelleremus, quæ hodie ſunt ingenia, literarumq́ue ſtudium. *Philom.* Quid Latinos tentaſſe ait? *Exeg.* Nónne Horatius à Pindaro diſceſſit, Propertius à Callimacho, Virgilius ab Homero, qui plurima, & domeſtica addidere ſimul, ac ſeorſim tractauere? Petrarcha ex gallico argumento ſua tranſcripſiſſe fertur, ſed nouis ſuis longè maiora celebrauit. Si Higinum in Virgilium haberemus, vel Pollionis commentarios, longè plura in eius ſcriptis noua miraremur. Hiſpani ſuũ Amadiſium ex veteri gallico opere tranſtuliſſe

ſtuliſſe dicuntur, ſed illorum veſtigia multis laudibus ſuis reliquiſſe, vt etiamſi gallicè traductum legas, minor ſit ſuauitas, inferior longè argumentorum, ac inuentionis maieſtas. *Philom.* Mirum eſt adeò quibuſdam ſemper fuiſſe inimicam recognoſcendi ſua moram, vt cum nominis diminutione, atque laudis detractione eam neglexerint. *Exeg.* Idem queritur Horatius, ſimulato poëtico ſtimulo quoſdam omnia publicare, non vt Græcos ſua, nec errores agnoſcere velle: ſed quædam præſtantiæ ingenij condonari poſſent, ſi modò non in idem recurrerent. Nam duobus modis peccatur, ignoratione naturaque, aut negligentia & incuria. Qũi naturæ imbecillitate, aut perpetua aſſuetudine inſcij peccant, excuſari poſſunt, quod ſi malitioſè defendant, aut perpetua incuria errores continuent, grauiùs decipiuntur, nec furoris, aut vini prætextus admittendus, aut nobilitatis, & occupationum magnitudo. Non ita Sanazarus, aut Pontanus, neque Sabinus noſter, & alij ſtylo celebres ſua in omniũ aſſenſum extulerunt. Corrigenda igitur ſæpe ſunt, atque coërcenda, tanquàm clathris, quæ alios legere voluimus, atque de ratione corrigendi

di Quinctilianus in 10. bene ſentit: at quædam reprehenſione fiunt vitioſa, quædam per ſe, ſuaque ſponte, nec admittenda, vt illud Plauti: Amicũ caſtigare ob meritam noxiam immane facinus: verùm in ętate vtile, ac conducibile, hanc Cicero vitioſam putat rationem. Horatius verò ſpatium iſtud in genere præſcribit, atque ἀδιαφόρως, modò recognoſcantur, vt editioné mereantur, niſi myſteriũ ſimul in ternario numero in ſeducto quęſieris. *Philom.* At multi ſunt qui ſua reuidédo, deteriora efficiũt, ac noui aliquot, qui verſus mediocres ſcripſerunt, emendando longè à priſtinis inferiores ediderunt. *Exeg.* Ignorantiæ, non arti id eſt tribuendum, aut iudicio non aſſuefacto, & probo. Qui enim quod ſcribit, rectè intelligit, mora deteriora non efficiet. Sed vſu venit multis, quorum ſtylus non eſt iudicio munitus, vt ſi millies ſua deſcribant, ſemper aliquid mutent, atque aliter abundanti ingenio, ſed anguſto iudicio proferant, qui mos puerorum, ſuis non nitentium, atque ad maiora contendentium eſt, niſi ratione, exemplisque melioribus fiat. In ſatyris Horat. Lucilij celeritatem ridet: in quibuſdam Euripides quoque Ariſtoteli non ſatisfacit,

&

& artē in Sophocle accuſat. Virgilius iudicio, non ingenio ſuperior Naſone fuit. Sed noſtram illa prudentiam diiudicandi excedunt, & vix vmbram tantorum ingeniorū agnoſcimus. Sed hìc libet addere, quod de cerui modeſtia ſcribitur, vbi cornua amittit, metuere ipſum, atque ſine cornibus vereri prodire, ac tantiſper latere, donec ſe marem teſtari queat, atque matura cornua recuperet. Vtinam noſtris edendis eius ſolicitudinē imitaremur, noſtraque, dum luce digna fierent, ac maturitatem conſequerentur, premeremus: niſi adeò excellens inuentum, ac vitæ neceſſarium ſit, vt fraudare mora, eiusque cultu alios iniquum duceremus. Quòd ſi opera ſint, qualia Myrmecidę, aut Callicratis, ſtatim extruderem.

Ingenium miſera quia fortunatius arte.] εἰρωνικὰ hæc ſunt, eſtque προσωποποιία leuiū, ac melancholia infeſtorum poëtarum, qui neglecto habitu, ſolitaria vita, ſordibus corporis, à mente relictos, ac diuinitùs excitatos ſe iactabant · quibus ab inſania otium nec barbæ, neque vnguium præcidendorum dabatur. Tales in Italia videas circumforaneos, & vicarios concionatores, qui promiſſa coma, & barba redundant, mente reciſa, &

& curta,vt ſic loquar,qui ſe ſordibus maximè puros, ignorantia doctiſſimos arbitrantur, fanaticos, & prophetas imaginantur. *Philom.* Nónne vera dixit Democritus? *Exeg.* Ego verò neutrum ſine altero ſufficere exiſtimo, & qui ingenio plus, quàm doctrina contendunt, æque parum, ac doctrina qui, & arte ad commendationem aliquam enituntur, præſtabunt. Nec modò ἐνθουσιασμὸς hîc ad poëticen, ſed quaſuis artes requiritur: nec Pericles communibus rhetorum præceptionibus ſolùm fulminauit, nec Demoſthenes Athenienſium animos,vt ceram, in formas omnes effingebat. nec Cicero ex Arpina ſcholâ δημαγωγὸς, atque conſul Romam veniſſet, niſi vis naturæ ſingularis artem fuiſſet complexa, atque ſocietate mirifica ad iſtam amplitudinem, atque memoriæ æternitatem ſeſe excitaſſet. Non tamen ſilebo iudicium me pluris, quàm ingenij copias facere, ac ingenium corpori, artem, ac iudicium intellectui, vel oculis comparo, atque in rebus humanis qualitas rerum, τῇ ποσότητι præfertur. quid enim profuerit omnia eſſe in poſſeſſione noſtra, niſi cuiuſmodi ſint, vt quid'ue deceat, quid vtile magis, quàm ho-

honeſtum ſit, & contrà, quid maximè noceat, diſcernamus. Si tamen vtroque excellamus, optatiſſimum eſt, quod cui contigit, verè ſe beatum putet, Deique ornatum beneficio ſummo. *Philom.* Videmus quoſdam niſi certis horis, ac temporibus, nihil ingenio valere: hos ego in illo inſtinctu ingenio, & arte, non parum poſſe arbitror, vt tanta lima non ſit opus. *Exeg.* Id ipſe in multis expertus ſum, nec reprehendo celeritatem inueniendi, atque faciendi, modò ad arbitrium ſe aliorum quoque fingant. Quis enim poëtam laudet, qui tantũ ſuas nugas obtrudat, qui furorem illum nõ exuat, vt imitari alios poſſit? Quare ſi œſtro illo ſuo corripiũtur, faciant quod ſuggeritur, ſed ſi quid non ſatis aptum eſt, cùm à furore redierunt, emendent, fideique bonorum committant: Sanates ſint, qui minùs fortes interdum, ac Romanis fideles, ſtatim ad officium redibant. Sed non ſilebo Theophraſtum in de Muſica tres poëticæ cauſſas recitare, dolorem, voluptatẽ & enthuſiaſmum, atque amore correptos fieri aptos ad numeros, quod etiam Euripidem voluiſſe Plutarchus alicubi teſtatur.

Si tribus Anticyris.] Seſe à reprehenſione re-

reuocat,& ad ſanitatem eos venire non poſ ſe verbis, quorum vitioſis humoribus exigendis ne Anticyrarum quidem helleborus vniuerſa ſuffecerit, notat. Deinde ſeſe conſcium eſſe virium,ac ingenij proprij,qui cùm nihil amplius illis poſſit,atque iuuenis ſit,alios exagitare non eſſe ſui officij: ac malè purgari bilem verno tempore, hoc eſt iuuentuté, quæ non ſatis tuta eſt iudicio, in aliorum contumeliam, & reprehenſiones non debere eſſe pronam, & paratam: Autumno,atque ætati affectę libertatem iudicandi congruere, ac notum eſt atram bilé per inferiora pelli, atque redeuntibus malis occurri, atq; certis purgationbus caueri. *Philom.* Ergò reiectio quædam eſt, ſeu ἀποδιώξις, qua indignos putat vt moneantur pertinaces, & à corrupta mente obſeſſi? *Exeg.* Sanè. atque factum excuſat,ſe bono ſenſu, non ſtudio maledicendi, ſed cohortandi quidquid ſcribere, ſimulq́ue anteuer tit obiectionem, ſeu temeritatis ſuſpicionem: etiamſi tantum præſtare ipſe, quantum videas,nequeat: cotis tamen vice functurum, quæ ipſa ſine acie hebes, alijs acumen, vimq́ue incidendi præbeat. Eſt igitur παῤῥησία quædam, atque deſperatæ in ægris

ægris illis poëtis valetudinis ſignificatio: & quos veros poëtas exiſtimet, vtque fiant, vnde enthesma illud diuinum adueniat, iudicet, ex cognitione philoſophiæ, arte, atque ſtylo diuturno: non à ſordibus, non vecordia, cultuque rudi proficiſci, nec eſſe illa poëtices indicium, ſed prauæ imaginationis initium; eſſe commiſeratione dignos, non medicina. *Philom.* Cur hoc primùm loco de materia poëtices, velut attentioné captans, & de ea verba facturus, meminit? initio hæc, vt ad pulcherrimum ſtudium Piſones inuitaret, poni debuiſſent? *Exeg.* Imò verò quotieſcunque aliquid noui præcipitur, aut quod non ſatis explicatum fuit, iteratur, beneuolentia audiendi comparatur. Itaque à contrario illorum errorem infirmaturus, poſt vitia, & morbos indicatos, medicinam facit, & quibus modis rectè cóſequi laudem poëtices queant, oſtédit. Res enim ex Socratis, & aliorum ſcholis petéda eſt, ergo philoſophiá illis tribuit, deinde ordo, & ars verborumque ſubſidium facilè conſequuntur. Qui enim cuique rei, ætati, perſonis, rebus publicis quid conueniat didicit, non illi multum ad victoriam reſtat: omnia quoque condienda lemmatis, & fa-

buloſis animos captandos eſſe monet : inuolucris enim poëticis facilior in animos patet ingreſſus ad commonefactionem, viamq́ue vitæ meliorem : hacq́ue præcipua virtute alios præcellunt vates,indeq́ue omnis animorũ, atque affectuum ducitur moderatio. Paulò pòſt repetit Græcorum diligentiam,à qua Romani præ auaritia nõ minùs,quàm veſani illi poëtæ, à mente diſceſſerint. Qui cùm penitus habendi ſtudio ſe, ſuosq́ue à teneris,vt aiunt,vnguiculis deuouerint, nec prætereà quidquam ſolicitè moliantur : quando tamen ad literas diuerterunt, atque ſubitò aliquot verſus excuderunt,omnibus aliorum vigilijs anteponunt, quodq́ue alij per omnem vitam labore ac induſtria conſequi nequeunt, obiter illi, ac aliud agendo feliciùs præſtitiſſe ſibi perſuadent,cedro digna, cupreſſea arca reponenda,quę nulla ętas ſpernat,nulla ſuperet memoria . de his Romanorum moribus vide Tacitum in primo. *Philom.* Videtur Horatius aliquem his pungere, extra enim præceptionum conſuetudinẽ euehetur. *Exeg.* Opus fuiſſe iſta vehemẽtia videtur, nõ minùs quàm hodie,qui Principum & aliorum liberos lucro ſtatim, & amplis fœnoribus in-

incumbere, nullis honeſtis ſtudijs affici, nõ præmijs ornare,non gratia vlla,& ſpe bono rum ingenia prouocare ad laudem videmus : ſed excitatos negligere. Quòd ſi interdũ vel à limine humaniores literas ſalutarint,ſtatim ſe doctos,& ſufficere ad tan tas opes conſeruandas,& augendas putant. Vt verò turpiſſimũ iſtud Romanorum vitium exacerbet, Albini illius à ſe,& alijs no minati menſarij, ac fœneratoris filij exemplo modũ inſtitutionis addit. Fingit enim exigere parentes aſſis partes, earumq́ue diminutionem, & acceſſum mutuũ. Etenim aſſe in ſuas partes diducto,quærunt à quinque ſi dematur vna,quantum ſit reſiduũ: ſi trientem, ſeu quatuor reſtare partes agnoſcat,bene eſt, καλῶς dicunt, atque patrimonium eos aucturos, remq́ue familiarem de natorum induſtria pollicentur. Neque verò mala horum, aut illiberalis eſſet opinio: philoſophum,& honeſtum eſt enim numeros tenere : ſed finem ſordidum odit Flaccus, nimiumq́ue ad rem ſtudium. De aſſe vide Budæum,& Theophilum Inſtitut.lib. 2. Atque his verbis Horatius rectè omnes partes, ſeu ſpecies numerorum ad vſum, & praxin adhibitorum indicat. partes enim

totius multiplicando apparent, reducendo verò ad caput ſuum partes ſubtractione veteris, demendo quiddam ſubtrahitur, addendo fit coacta ſumma, deinde ſi quincūcis ad trientē, aut ſemiſſem rationem quæras, regula fit aurea. Sed quid ſi centum partes, pro vſura, quam centeſimam appellant, cognoſcēda ponatur, aut pro duodenis? Cedro verò poliebantur chartę & membranæ eiuſdem oleo, ne carie, & vermibus repoſita tentarentur, atque arca cupreſſea, ſeu aſſeribus, diligenter aſſeruabantur nunquam peritura. Cuius tamen Pythagorei vſum damnabant, quòd funebris eſſet cupreſſus, vel quia ſceptrum Iouis ex ea fieret, vt in Pythagora Laërtius refert.

Aut prodeſſe volunt, aut delectare poëtæ.] Cùm de ratione poëmatis ſcribendi, de materia vnde petenda ſit, de iudicio, atque mora faciendi dixerit, oportunum fuit de fine, ac ſcopo etiam adijcere: vt quis finis ab induſtria poëtarū expectari debeat, quid ipſi ſua opera efficere poſſint, cognoſcerēt. Omne enim boni alicuius finis ratione inſtituitur, quare quod nunc diſiungit, deinde in præcipua laude coniungit. Prodeſſe igitur ſtudent, aut delectare fabulis ſuis, veruntamen

men niſi cõdiant ſuauibus illis,& ſimul vtilibus ſcriptiones ſuas, plauſum non ſperabunt. Atque poëta longè facilius iſta ſuppeditabit,quàm orator,aut hiſtoricus:in ijs enim quę ſui ſunt ingenij elaborant poëtę,ac res qua poſſint eſſe conditione ad ſummũ, admirabiliter extollunt, ἐξωπερικὰ, non vt hiſtorici,addere poſſunt. Vult tamen honeſtis præceptis, ſua communiant, ſed breuiter,vt dociles citiùs percipiant, teneantque fideles animi. *Philom.* Cur breuiores eſſe in præceptis iubet? *Exeg.* Ne longiori narratione aures offendamus, ne conducti ad docendum, atque animos ſeueris, dum ludo interſunt,tenere velle videamur. Atque Ariſtotelis hæc ſunt, qui in poëtica obſcurari γνῶμας verborum lenocinio ait, atque earũ eleuari authoritatẽ, dum ornatu ſuſpectas multo efficimus: alia etiam eſt cauſa,tragœdia enim πειρᾶται ὑπὸ μίαν περίοδον ἡλίου εἶ). Quare non ſunt grauioribus animi onerandi,ſed recreando docendi. Potes hoc præceptum ad methodos quoque artium accommodare: breues enim canones eſſe debent artium,multa exempla,vſus plurimus.

Ficta voluptatis cauſſa ſint proxima veris.] Horatius tota hac ſatyra,ſeu epiſtola,illa tria

perſequitur, *μῦθον, ἦθος*; ſeu mores, & *λέξιν*: reliqua tamen fabularum etiam obiter attingit, *διάνοιαν, μελοποιίαν*, καὶ *ὄψιν*. In rhetorica ad Herennium diſtinguitur apologus à fabula veriſimili. Cùm igitur figmentis dulcia quærantur, procurandũ ne illa ſint abſurda, aut omnino fide careant: vtilia enim proxima veris eſſe oportet, vt mouere poſſint. Si enim prorſus ab opinione ſint remota, nihil ad res hominum pertinere videbuntur: à quibus nihil ſperatur, nec metuitur, non commouent. Bellum gigantum prodeſt, analoga enim ſunt cum ambitioſis mentibus, pumilionũ aduerſus Herculẽ coitio delectat, & mediocria eſſe tentanda præcipit. Quas Homerus fabulas, & Virgilius contextui interijciunt, proſunt, & delectant. Æſopi fabulis oratores nõ leuiter ſua illuſtrant, & ad cohortationes valere exẽpla Demoſthenis, atque Ariſtotelis in rhetoricis præceptum declarat. Sed nubes locutas, homines de lapidibus reſtitútos, Solem abduci è ſede ſua, & negare lumẽ mortalibus voluiſſe, ſuamq́ue cauſſam verbis defendiſſe quis credat? felem è luna procreatam ob *συμπάθειαν* oculorum? Huiuſmodi fuit Lamię figmentum, de qua in 20. libro Diodorus

rus Siculus. Hæc enim *καινόπλαστα* ſunt, nec ad erudiendum, minus feſtiuitatem valēt, ſunt enim *ἔξω τῶν συνηθῶν*. Strabo in primo fabulas ait Lamiæ factū, & ſimilia, *ἥτε γὰρ λαμία μῦθός ἐστι, καὶ ἡ γοργὼ, καὶ ὁ ἐφιάλτης, καὶ ἡ μορμολύκη*. Fuit etiam alia Trachiniorum Regina Lamia, atque tertia quoque Neptuni filia, vt Plutarchus docet. Quapropter qui ſtudet omnibus placere, atque retinere auditores, donec auferantur aulæa, decorum in fabulis ſeruet, atque ſatisfaciat omnibus ætatibus. Nænias enim pueriles, meraſque nugas ſenes ferre nequeunt: quòd ſi auſtera ſint, coacta, importuna, qui excelſo ſunt animo, vt Rhamnenſes nobiles, illa præteribunt, quia inſuauia, nec præſentia illorum digna. Qui autem ordines præcipui Romę, & quot fuerint, præter alios, ſi quartū Dionyſij librum inſpicias, cognoſces. Summa igitur eius poëtæ laus eſt, omnium is ſuffragium, applauſumque merebitur, qui vtilibus dulcia miſcuit: huius fabulis deſcribendis Soſij librarij arcam implebunt, columnis propoſita poëmata laudabuntur, atque auctoris nomen ad poſteritatē facilè tranſmittent. *Philom.* Cur mouendos animos fabuloſis iubent poëtæ? *Exeg.* Æquè doce-

ri,& affici poſſimus veris:atqui ludi animorum cauſſa introducti ſint,ne omnia ſcurrilia ſint, & otioſa,ne grauia etiam,& nimiũ καταυοητικὰ prouidendum:atque cùm imitatione alienorum poëta valeat,afficiat animos, oportet, ijs præſertim, quæ πιστικὰ ſunt: πᾶν γὰρ ἀπαθὲς ἀνυπόκριτον, vt Plutarchus monet.

Sunt delicta tamen quibus ignouiſſe velimus.] ἐπανόρθωσις precedentium, eſſe vt Virtutũ, ita delictorum quoſdam gradus,qui tolerari poſſunt: non tamẽ in leuiſſimis etiam vitijs obſtinati, ac pugnaces eſſe debemus: boni eſt enim viri aliorum errores annotare,imprudentis, qui audire nolit, monere, malitioſi, recta vituperare velle: ſunt hæc quoque Ariſtotelis in poëtica. Declarat per conceſſionem correctam quid velit, idque exemplis citharœdi,arcu aliquid minantis, ac ferientis. Nemo conatus bonos, etiamſi finem non aſſequare,vituperat, ſed in errore velle perſeuerare, non eſt ferendum, ὥστε χρὴ τοὺς ἀγαθοὺς ἐκ τῶν ἀποτελεσμάτων, ἀλλὰ ἐκ τῆς προαιρέσεως κρίνειν. Hîc lego (aberrat) non,oberrat. Quam enim reprehenſionem incurrit is,qui eãdem chordam ſibi conſuetam ſemper,ac certam pulſat,non enim for

taſſe

taſſe malè canit: quòd ſi ab eadem, quam tangere volebat, ſemper aberret, nec monitus digitum aſſuefaciat, velut librarius eadē ſemper in difficultate manus, aut lituris ineptis hærens, venia non eſt ſubleuandus. Quòd ſi aliqua leuiora in opere aliquo ſint vitia, & maioribus compenſantur, non ſunt reijcienda, humanum eſt enim errare. Alius eſt error per ſe, alius per accidens, alius à natura debili, & rerum ignoratione, alius ab incuria, & lata culpa, modò igitur poëta ſcopum ſuum reliquis aſſequatur, quædam peccata non imminuent exiſtimationem, quid Homero in Ithacam Vlyſſis nocuit ſomnus importunus? infinita ſunt alia, quibus prodeſt, atque delectat. Pindari errorē tueri vult Ariſtoteles, qui non incuria ceruæ cornua, ſed ignoratione tribuit: malo enim conſilio peccare vitioſum eſt. Sed malè fortaſſe Virgilius Palinurū orantē Æneam fingit apud inferos, nec minùs de Lauinijs littoribus nomen adducit tunc nondū auditum, niſi κατὰ πρόληψιν poëticam eum excuſes, cuiuſmodi quoque ferunt eſſe illud de Theſeo, quem cùm à Ioue prognatum confeſſus ſit, poſteà tamē ſemper infelicem fore ait. Atque hæc latè patent, ſed Horatius

ad τὸ ἦθος fabularum potiſſimùm refert, atque Cherilo peſſimo poëtę negligentes cóparat, qui ſæpè admonitus, nihil vnquam boni in ſuo illo poëmate Alexandrino, cuius pro ſingulis verſibus colaphum, aut numum aureum ex pacto accipiebat, ſed malim Therſites Homeri, quàm huius eſſe Achilles, prodidit. *Philom.* Ad omnes'ne cómuniter poëtas hæc pertinent? *Exeg.* Ad fabularum ſcriptores maximè. Epicis enim ignoſcendum magis, qui varia tractant, & longum opus texunt, in quo dormitare interdú neceſſe eſt: at comici, & tragici, quia vnum præcipuè argumentum propoſitum habeant, vnius diei ſpectaculo ſatisfacere cupiunt, citiusq́ue finem aſſequi poſſunt. *Philom.* Quid ſentis de illis qui non modò vitia ſua non agnoſcunt in carmine, ſed verò vitioſa in alijs mirari videntur, & liberiùs, quæ pauca, & non ſine graui cauſſa commiſſa à veteribus, cùm libet, aſſumunt? *Exeg.* Neminé volo nominare, ſed moleſti ſunt, & inepti, qui cùm Ouidij facilitatem aſſequi nequeant, leuem eſſe dicunt, non mereri operam magnam, atque Tibullianos ſe, & Catullianos dicúnt aliquot inuſitatis vocibus, multis in pentametro triſyllabis, crebra

bra eliſione,ſpondaicis,& quouis in epigrámate quidem, ac luſibus: optarent tamen Ouidij,& Tibulli eſſe ſimiles, ſi per ingenium, aut induſtriam artificé liceret. ſed me contineo. Si enim iudicio agerent,aut facultate præclara delectarentur,diligentiùs ſua facerent,atque expolirent: nõ parum enim voluptas promouet labores, ſi diſtracti variè non ſint, vt 10. Eth. habet Ariſtoteles. Chordam hîc legerem, niſi in Tuſculana Cicero aliter ſentiret in concordiæ voce.

Vt pictura poëſis erit.] Dixit quæ materia, quæ poëſeos forma eſſe à natura recta debeat,vt pulchra dulcibus iungenda: nunc, quoniam varia ſunt hominum, & auditorũ iudicia, poëmatum quoque differentias, & naturam variam ponit. Omne igitur feret punctum, ſi ita poëma variarit, vt quædam velut picturæ proximè conſpectæ placeant, quædam maiori cogitatione opus habeant. Sanè in Homero leuiùs quædam iterata videntur,ſi tamen ad reliqũa coniungas,latere arté deprehendes. Quædam vt legimus ſtatim placent, ſed nunquam repoſcuntur. In Virgilio varietas hæc maxima eſt, atque ordine partium operis eam tuetur,atque vt guſtatus hominũ,ita opiniones multę ſunt.

Qui-

Quibuſdam ſolus Horatius legitur, & Virgilio præfertur, Seneca multis ob tot ſentẽtias frequens eſt, ſed nõ dicam quo iudicio. Heſiodus artificio carere videtur, ſed eo, quod ita videtur, cùm non ſit, maior eſt ſuo in genere Virgilio: Ouidij quia ſunt leuiora, & patentia, multis non placent, ſed ego, qui idem ipſius in argumento poſſit, alium mihi dari velim: Pindarum quoque Corinna, ſed in melicis vicit. Ego Lucretium nulli poëtarum poſtpono, nec alium meliùs potuiſſe id argumentum tractare credo. In Plauto plura ſunt occultata, quàm Terentio, atque reconditæ ſunt vetuſtates, quæ legibus, & hiſtorijs interpretandis plus, quàm Terentius, conferunt. Catulli acumen Tibullo præferendum, Tibulli Ouidio: ſed ſi omnia eiuſdem generis Ouidij contrahas, & cum Tibulli locis committas, quæ diffuſa erant, collecta maiorem vim habere videbis. Luciani ſcripta vt leguntur ſemel delectant, ſed non tam ſæpè, quàm Ariſtophanes, aut Xenophon manibus teritur: ſed iudicare de tantis viris non eſt noſtrum, artificio enim pari caremus; ingenia non deſunt, nec argumenta, ſed malo ſemper artẽ in rebus, quàm copiam nimiam ſine arte. Si

enim

enim omnes colores in tabulam effundas, non tantum, atque aliquot lineæ etiam rudes,ſed figura aliqua informatæ, afficient. *Philom.* Ergo iſta de picturis ſimilitudo ad varietatem eiuſdem operis pertinet? *Exeg.* Poteris ſimul ad diuerſa argumenta referre,naturasq́ue poëtarum diſſidentes.

O maior iuuenum.] Ideam hîc perfecti poëtæ fingit, vt hoc magis ad induſtriam Piſonem accendat, ne leuis operæ hanc facultatem,vt auari iudicabant,qui mercaturę venia, & remiſſione ſe ſubitò bonos poëtas dixerunt, exiſtimaret. Nihil igitur mediocre in illis recipit, ac iudices paucos requirit. nec diſſimiliter Cicero rhetorum orationẽ ad ſenſum vulgi accõmodari poſſe ait: poëmata autẽ paucorum cẽſeri arbitrio. Secus fit in picturis,& ſtatuis,nam Polycletus efficta,qualem poſcebat vulgus, imagine, & alia,quam à ſe finxerat,addita,plus gratiæ in ſua, quàm illorum apud eoſdem inierat. *Philom.* Iſta non conſentiunt cum ſuperioribus. Si nihil mediocre vult in poëtis, cur quædam condonari poſſe errata,modò pluribus ſarciantur bonis,affirmauit? Deinde ſi ex eo, quod voluptatis cauſſa poëticen introductam cenſet,non neceſſitatis,ſummá

ope-

operam,ſummũ ingeniũ deſiderat: quid in talibus tanta diligétia,& ſolicitudine opus, & Cicero poëtis rariores,dicit oratores,verſuumque vſum faciliorẽ? *Exeg.* Pręceptũ de vniuerſo corpore,ac pręcipuis eſt virtutibus poëmatum,& à ſimili argumẽtatio. Si mel, ſi reliqua voluptatis gratia, non neceſſitatis in conuiuia adducta, niſi omni penitus vitio careant, diſplicent, cur in poëtis gradus excellẽtiæ admittamus? Sed hæc,vt ſolicitum reddat Piſonem, & à communi ſeducat errore,tantopere inculcat. Mel Sardoum ſecundis menſis adhibitum teſtatur in 18.Plinius: atque Athenæus populos eos diutiùs vixiſſe ait, nam & ſubamarum erat, cuius cera ſe, & tabellis damnatum Ouidius alicubi queritur. De Muſica idem accipiendum,niſi excellat,excludendam à ſympoſijs eſſe. Vult igitur ἡδύσματα iſta ſuperent ἐδέσματα. In alijs profeſſionibus gradus ob neceſſitatem feruntur, quibus carere in vita nequimus: his verò,& ſimilibus, niſi prorſus delectent, cur non careamus? Cicero autem orationem ſolutam in neceſſarijs præfert ipſis verſibus, nõ ἐν τῷ εὐφραίνειν, καὶ ἐντέρπειν. Eſt quoque παραίνεσις ad elaborandi ſtudium, ne in publicnm antè, quàm

quàm rectè quid fiat, proferamus, atque à minori idem cõfirmat: ſi quoduis genus artificum, luſorum, niſi ſæpe inter parietes periculum fecerint, moniti, doctique ſint, in lucem & arenam non prodeũt, quanto minùs poëta nondum benè exercitatus palàm ſua oſtentabit? Eſt etiam præoccupata opinionis quorundam ſtultæ refutatio, qui nomine aliarum in ſe virtutum, aut nobilitatis auitæ plus in poëtica licere ſibi, quàm alijs non eadem conditione cognitis cenſebant. Vult igitur omnem prætextum, omne exterum ius, quod poëtices ſummę laudi quidquam detraheret, excludere. Si enim materia viribus æqua eſt deligenda, ſi ad eam ordo, atque verba conſequuntur: non vlla dignitate perſonarũ, ſed ingenio, atque laborum conſtantia metiemur, nec leuia pro magnis, vitioſa pro bonis à quoquam recipiemus. Sed hæc vt dixi, ab Horatio ſatyricè dicuntur. Nam cur in ludicris non ſint gradus? cur, ſi Virgilius eſſe nequeam, Ouidius ſi poſſim, non velim, aut ſim? Nec verò abſolutum hoc ita accipi velim, vt nullus poëta, niſi optimus, & ſummus ſit habendus. Nam Pindarus maior eſt Horatio: ſed in quoque genere argumenti,

ſuisque

ſuiſque numeris non vulgarem exigit diligentiam, maioremque rationem ingeniorum, quàm nobilitatis duci vult. *Philom.* Si princeps aliquis, aut rex mediocriter in carmine ſe exerceat, cur non ſit laudandus? *Exeg.* In magnis quidem etiam minima ſolent omnes admirari, nec eo in genere hominum iſta requiruntur: ſunt enim qui nocere nimium literarum ſtudium Regibus, & magnis viris exiſtimant, de quo nihil pronuncio. Illud notum eſt Carolú Imperatorem, cùm primò Ianuam in Liguria appuliſſet, exceptum à repub. ſplendidiſſima oratione latina, cùm reſpondere eadem elegantia, & eadem latinitate non poſſet, conqueſtum de ſua incuria, atque doluiſſe plurimú quòd Adriani ſui monitis, qui poſteà creatus fuit Pontifex, in literarum elegantia non eſſet obſecutus. Plato ea re commendat reſpub. ſi docti ſint ac philoſophi Principes ciuitatum.

Id tibi iudicium eſt, ea mens.] Hæc modeſtè adijcit, tanquam offenſionem vitans, ne diffidere eius prudentiæ videretur. Quaſi dicat: ſcio te ijs parentibus, quorum in educando eximia eſt ſapientia, profectum, non deſunt domeſtica exempla induſtriæ, natura

ra te multum poſſe commonſtrat, ipſe verò parum poſſum : ſed tamen vt cos te acuendo moneo, & ad ſumma præparo, atque hortor in parentis, meas, vel Mecij iudicis manus tua tradas, vt recognoſcantur antè quàm tibi placeăt: plus enim laudis in corrigendo, & ſumma addendo manu, quàm componendo opere poſitum eſt. Atque Plutarchus in 2. ſympoſio repetit hanc Polycleti ſententiam : χαλεπώτατον εἶναι τὸ ἔργον ὅταν ἐν ὄνυχι ὁ πηλὸς γίνεται, hoc eſt, cùm ad vnguem abſoluitur : ſatiusque eſt premere aliquandiu, quod promere velis, quàm inculta, & vitioſa reuocare, cũ euulgata ſunt, neſcit enim vox emiſſa reuerti, ἔπεα γὰρ πτερόεντα ἐστί. Nunc verò nõ modò in tot annos non continentur, ſed ne in horas quidem. Quod igitur de Virgilio eius dicebăt familiares, parere ipſum more vrſæ ſuos verſus, lambendoque expolire fœtus, ita nos amore quodam rudia excolere oportet.

Sylueſtres homines ſacer interpresque Deorũ.] Ab authoritate poëtices, & argumentis eius ſtudium commendat, ac dignum quamuis Principe magno, quòd eruditum ſit, quòd diuinum, quòd Deorum atque hominum, præteritæ, ac futuræ res verſibus de-

ſcribi ſint ſolitæ. plus igitur in vſibus eius, quàm voluptatibus Horatius verſatur, ne inanem operam in ea collocari putes. Confirmat igitur Piſonum voluntatem, ac promouet ingreſſum, nec abijciendam voluntatem, quia ſumma expetatur, quia ardua profeſſio, modò par ſit ſtudium voluntati. Quid verò illius authoritate, atque amore quidam olim profecerint, exemplis fabularum notis confirmat. Muſam igitur, & lyram ſolertem vocat: nam lyra inſigne ſapientiæ habita eſt, atque cithara pro morali philoſophia pingebatur, rebusque ex virtute agendis, atque hedera ornari poëtas morem fuiſſe credo, tanquàm prudentia inſignes, atque domicilium omnis ſapientiæ: ſiquidem ſerpentes inuolucris hederarum ſeſe continere videmus, ac lauri cortices quoque, vates quibus decorantur, ſunt amari, vt laboris eos ſui nõ tædeat, moleſtiamq; ferant. *Philom.* Memini te in prolegomenis dixiſſe hæc eadẽ, quibuſuis argumẽtis cõuenire numeros, eiusque nobilitatẽ eſſe vetuſtiſſimam. *Exeg.* Propterea Horatius παρεξυντικῶς iſtud affert encomium. Quia enim præclara, quia omnis argumenti capax, quia tot exemplis illuſtris, diuinis, & huma-

humanis exculta caſibus: quid nobilitatem magis deceat, quàm poëſis, cuius ſymbolū quoddam in animis ab excelſa natura, ingenuaq́ue ortis familia ineſt, quod ſi labore, ac diligentia excolatur, omne ſuperabit decus: & quò res difficilior, hoc parta maiorē conciliat laudem. Atque vt toties dico, Sanazari, Pontani, Bembi, Sabini, & ſimilium exempla quantum nobilitati gloriæ huius ex elegantia adiunctum ſit, palàm eſt. Orphei, & reliquorum fabulæ non ſunt obſcuræ. Vide oden 10. primi. Ο'δυσσ.μ. Ciceronem in Seſtiana de Orpheo, & 2. Ethicorum, de Tyrteo Iuſtinus quoque in tertio, ſed aliter de eodē Athenæus in 14. Pauſanias in Meſſenaicis.

Natura fieret carmen laudabile.] *Philom.* Cur hæc repetit, nónne quid de his ſentiat, Democriti riſu extulit? *Exeg.* Idem alia, atque alia de cauſſa iterata doctrinæ habent memoriam, & teſtimonium, nec eſt ſuperflua λαλία in præceptionum methodis. præſertim verò conſilij rationes in fine ſunt commemorandæ, vt quò omnes induſtriæ nerui contendendi ſint, nouerimus. Quare ad confirmandum Piſonem natu maiorem, qui ſe tantæ laudi fore imparem cogitabat,

ac multa præter communem opinionem adducta videbat,denuò repetit Flaccus ſuperiora, & metũ ingenij, atque tarditatem remouet: nihil eſſe volenti difficile, atque conſtantię.Hęc ad τὸ ὡς pertinẽt,nec quicquam intempeſtiuè præcipitandum: mutua eſſe artem, ac naturam. quantum itaque ingenio excellimus, tantum operæ in elaborando exigi, nec iniquè iudicium, atque difficilè aliorum de luſionibus noſtris ferendum.Concedit igitur,quam è vigilijs optamus,mercedem, ſeu πρωτοπειρίαν laudat, quæ niſi vmbratili exemplo, ac domeſtico ſeſe cõmunita oſtentet, parum in bonis, atque poſteritate gloriæ illorum ſtudijs repoſitum iri prænunciat, eſtque iterũ à minori amplificatio. Tibicinen, qui pythijs ſe concelebrandis iudicat idoneum, à magiſtro ſæpè repulſum eius ſpiritum, atque moderatum anteà fuiſſe tibiam monet,qui in campum Martium equis decertantes publicè conſcendere, domi præluſerint, neceſſe eſt. Quòd ſi tibicinen, quique pythia cantet, Pindarũ intelligas, aut quẽuis alium poëtam,non ineptè feceris. Quid enim ad ludos Apollinis accinenti tanta vini,ac Veneris abſtinentia opus eſt? Vel ad

oracula referas,eos qui futura prę̨nunciant, ſobrios eſſe oportere, ſi digna Apolline reſpondere, ac tripode velint. Idq́ue confirmat commune de pụero exemplum,quem & ipſum ſi contingere optatam ſtudiorum metam cupiat,ab ocio, & quibus ad molliciem labitur animus, temperare ſolere, nihil ſubitò rectè fieri. Atque hac occaſione iterum exagitat quorundam ineptias, quos pruritus, & ſcabies extrema velut corporis, ita ardor ſua edendi vexabat,qui nobilitate freti,aſſenſum omnium extorquere, atque conductis iudicibus impetrare conabantur, nec ſecus, atque Gorgias σχεδιαστὶ omnia eructabant, vt eſt apud Pauſaniam in Heliacis: mentem igitur illis bonam, ſi errores ſentiant, animumq́ue mutent, comprecatur,& à ſcribendi κακοήθει dehortatur.

Vt præco ad merces turbam qui cogit emendã.] Dixi ab initio abditam eſſe inuectiua hanc epiſtolam: atque noſtris etiam temporibus non penitus is moṣ iudicum conductorum exoleuit,quod ſatis ex tot præfationibus, vt vocant, atque epiſtolis dedicatorijs manifeſtum eſt: quibus cùm argumentum operum deberet patefieri, in prolegomenis panathenaica,& omnis generis fictorum præ-

coniorum nullus vt finis librorum ſit, atque adulationibus arcas numoſorum exhauriant, contexunt. Deteſtatur itaque Horatius ambitionem quorundam, qui ſub ſpecie liberalitatis, atque literatæ nobilitatis, pręuaricatos ſibi iudices cõparant, quam in partẽ volunt, atque aſſenſum, opibus freti, traducunt, non ſecus atque præcones, & auctionarij. *Philom.* Nónne collaudandi ſunt conatus nobilium præſertim, atque excitanda voluntas, quando paucos ſua ſpontè ad elegantem cognitionẽ accedere videmus? *Exeg.* Sed nec falſa, nec vitioſa pro bonis ſunt publicè vendenda. Si quid abditè, domiquè experiuntur, non ſeuerè ſunt omnia damnanda: at quæ conſpici cum nominis, ac ſtudiorum volumus dignitate, non ſunt in dedecus, qui nõ ſatis adhuc vident, inducendi, atque in erroribus ſtabiliendi: multò minùs, qui ſua vitioſa non ignorant, fraude tamen, atque aliorum commẽdatione immerentes, nominis conſtituere famam ſtudent, ferendi. Quinctilianus in 10. de correctione legendus, atque Ariſtoteles in primo Ethicorum quæ iudicis partes ſint nõ fraudulenti patefacit. Sint igitur boni viri, intelligentes, aſſuefacti, tui amantes, atque norint

rint optimè quod prorſus diſplicet damnare, ſuperflua, nimiſque luxuriantia reprimere,atque caſtigare, vt deinde redundantia facilius depaſcantur. ϛόμφακα, ϗ σκληρὰ ὠμάτε mollire, grataque, & leuia efficere, concoquere cruda, obſcurioribus lumen afferre, ac ne frequentia ſint cohibere, quædam in rebus, & verbis omnino mutare, vt omnium rerum, atque ad eas conſequentium,& adiunctarum æqualitas quædam, atque dignitas cum artificio ſit decens,atque iſtam iudicis vult integritatem non in ſerijs modò,ſed nugis etiam,ne paruis, ac domeſticis erroribus diſſimulatis publica ignominia creetur. Itaque ſi Quinctilius, aut Ariſtarchus fuerit ſcriptorum arbiter, credere nos illis poterimus,quorum aures,atque iudicia facilè τὰ νόθα, à γνησίοις ſeparabant,de hoc in oda 18. lib. primi. Catullus quoque egregius in Horatianis fuit æſtimator, nec vllo aut amore, aut gratia tenebatur, quin quæ diſplicerent,configeret,quæ probaret, confiteretur, vt Cicero fecit in Lucretio. Mox Horatius exemplo, ac periculo quorundam veſanorum, & cruda vomentium, & ad faſtidium ſua alijs ſomnia vana, & ægra obtrudentium, quid ad hanc corrupte-

lam iudicium conſequi poſſit, copioſè deſcribit, atque ob oculos, velut rem præſentem, conſtituit: vt ab horribili, atque miſeratione digno morbo ſibi caueant Piſones, nec perſuaſione falſa, leui ambitione, præpoſtera immortalitatis ſame, ac ſiti ſeſe in grauiſſima conijciant, vnde, ſi pedem vel ipſi referre, aut alij eximere velint, ſalutis ingratum, aut perditum eſſet ſtudium. Hunc verò locum admodùm artificioſè, & varietate rerum expoliuit, vt exemplum ἐπεξεργασίας poëticæ, atque ſatyricæ præberet. *Philom.* Quid de mala ſcabie, quid regio morbo dicit, & quæ horum occaſio, & ad reliqua eſt conſenſus? *Exeg.* Vt quem pruritus intercus, atque extremus occupauit, qui ictero, effuſâque ſub cutim vniuerſa bile tentantur, omnia eodẽ pruritu calere, omniaque auri colorem habere putant: ita qui praui ſunt, atque non ſibi conſtanti mente poëtæ, quiduis ſuorum probant, vtque idem alij faciant, moleſta recitatione impetrare conantur, laudari volunt. ſed fugiendos tales iubet non ſecus, quàm furijs correptos & inſanos, vel contagione aliqua inſignes, ac periculoſos pueri exagitant. Duo priora mala ſunt corporis, poſteriora mentis. atque

cutim,

cutim,& exteriora, quæ intus ſunt malorũ indicia eſſe medici docẽt: atque vbicunque ſit indicium, modò malum,morbum deno tet. atque hîc mihi ſuccurrit de faſcia inſigni olim tyrannidis, quæ vel in pede læſo Pompei deligata pro affectatione regni, morboque interpretabatur. Cæterùm phanatici velut ecſtatici ſacerdotes delirando quædam prænunciabant θεμιστεύοντες. Taletem autem in puteum, qui ſuperiora ſpectando inciderat, aucupi confert, Empedocles autem μελαγχολῶν, vt eſt in Laërtij octauo, famoſæ mortis honore in Ætnæ cauernas ſe dedit, licèt Democritus Trecænius laqueo ſibi vitam finiſſe prodiderit. Frigidus, hoc eſt noctu, cùm ſe perdidit. Iracundam Dianam expono, quòd his in partu propitia non fuerit, vel quæ tauris cùm mederi ſoleat, dum morbo furiunt, horum non miſereatur, vel etiam ad eos referas, qui ad agendum aliquid ſine ratione impelluntur, vt eſt in ſecundo magnorum moralium. Quocirca φιλαυτίαν, quæ corripi ſe non ſuſtinet, damnat, adeoque cęca eſt, vt beneuolentiam non agnoſcat, ac pergat nõ aliter, quàm ob violatos penates, vel ſacra, cineresque ſuorum, diuûm vin-

dicta in perniciem ruere, vt in illis accidat, quod ex Ennio Cicero in officijs repetit, qui eos ſubleuare, atque liberare velit, beneſacta malè locata maleſacta habeantur. Sed mea ſententia talium mortem extare velim quidem, ſed nomen prorſus extingui, quomódò qui Dianæ templum exuſtú à ſe conſecrari ſuæ æternitati volens, publico edicto nomen perdidiſſet, niſi quidam leuiter illud prodere voluiſſent.

Nec ſatis.] Nefarium in ſacris locis, vt adhuc, erat meiere, locusq́ue vetitus imprecatione notabatur, atque malo prophanantis omine. Importunos igitur vocat recitatores, vt ſatyra 4. lib. primi, & ſeptima, in medio qui ſua recitabant, ac Iuuenalis quoque horú offenſione rumpere ſilẽtium ſe dicit. huc pertinet illud Martialis ad Mamercú:

Nil recitas, & vis Mamerce poëta vocari:
Quidquid vis, eſto, dummodo nil recites.

Bidental autem fulmine ominoſum erat, atque euitandum. Ne verò tibi quod literatori cuidam Brunduſij acciderat, contingat: qui bidẽtes tantùm oues à duobus dentibus dicebat, ſcio bidennes pro biẽnes vſu bidentes factas: licèt Higinus Iulius bidẽtes appellari ſcripſit hoſtias, quæ per ætatem

tem duos dentes altiores haberent, vt habet in 16. Gellius. Loca igitur ſacra omine, atque cęlo tacta, his expiabantur, atque hos poëtas agitari diuina ira, quaſi inceſtu illa violaſſent, ait. Ad bonam igitur mentem, atque ſtudiũ rectum poëtices iuuenes Horatius inuitat, vtque huiuſmodi caueant qui omnibus ſint infeſti, diligẽtius etiam, morbumque exaggerando iubet: cur enim quę cũ periculo publico, atq; ꝓprij nominis dedecore ſunt coniuncta, nõ vituperemus? Sed nunc finem colloquendi faciamus, atque hæc obiter, velut παραγγέλματα, & digreſſiunculæ, monendi gratia ſufficiant. Tu verò lector, ſi in aliquo me leuiùs ab eruditis fortè diſſentire videris, ſi meliora docueris, hanc enim tecum legem ſemper paciſcar, facilè patiar corrigi, ne in eodem cum furioſis hæream vitio. Quod ſi etiam interpretatum, quo alij modo quiddam obſeruaris, id verò in laude ponito, non furto. Qui enim idem argumentum præ manibus habent, eiſdémque vtuntur libris, nõ omnino ſenſibus diſcrepant, nec vellem certè vnquam ſtudio ab alijs diſſidere: publicum enim fructum, non priuatam opinionem ſpectare interpretando debemus. Libenter

etiam

etiam fateor quædam obſcuriora me nō attigiſſe, vel non ſatis difficultate explanaſſe: quàm enim intricata, & multis intermiſſa ſæculis conſuetudo, ac intelligentia veterū poëtarum ſit, eruditi agnoſcāt, quòd etiam nulla præmia, nulli honores poëtis ſint reliqui facti, atque multi mouentur illo Iuuenalis:

Gloria quantalibet quid erit, ſi gloria tantùm eſt?

atque contrahit ſpem illud Martialis:

Quid tibi cū Cyrrha, quid cū Permeſſidos vnda?
Romanum proprius, diuitiusque forum eſt.
Illic æra ſonant, & circùm pulpita noſtra,
Et ſteriles cathedras baſia ſola crepant.

Nec parum induſtriam iuuentutis moratur, quam adeò commendat Horatius, limæ contemptus, præceptorum ignorantia, cōmunis quæſtuoſarū atque mercedē exigentium profeſſionū amor, ſed ſuperet rectum, nosque Bembi, Sanazarij, Vidæ, Pontani, Molſæ, Flamminij, Sabini, Loticihi, & aliorum vatum noſtrorum virtutes admiremur, atque famam omnibus omnium morbis, atque obſcuritati anteferamus, quodque poſſumus, aſſequamur.

Τέλος.

BIBLIOTECA NAZ. ... EMANUELE

Errata, & quædam mutata ab autore.

Pagina 22.verſ.15.tam 24.23.veſtitu,leg.pellibus 26. 8.intexendo. ibid. capiat. 28.16.quorum ibid.verſ.17. Iambicos & verſ.20.15, & verſ.23.nec quæ lex 28.4.dele (Græca) 29. 19. veſtierint & admiſerint. 31.4. fingant 50.7. veritati ibid.24.eis moram 51.7.Soſiorum 57.26. turgent 61.4. iudicum ibid.verſ. 16. contagione 64.7. tenentur ibid. ver. 12.agnoſcat: & verſ.22.τὰς & verſ.52. ἐπισκευασμένους 72.25.τὰς ὑποθήκας 74.3.hypocritice 75.3.dele (tamen) 77.17.Si Gorgiam ibid.verſ.25.fine. 78.2.explicandæ ibid.24.earum 80.4. ſuſcipiant 82.4.ἄλλως 83. 8.accerſuntur ibid. verſ.12.delectabilis ibid.verſ.15.dele (non) ibid.verſ.24.artifici 84.20. πράξεως 85.20.deterior? 88.5.ſtudioſis, ibid.eod.verſ.ſe ibid.verſ.20. teneris 87. 18.in'que ibid.verſ.22.poëticam 92.1.ornentur ibidem verſ.11.quadrare. 95.verſ.2.ingreſſu 99.22.Vidas 108.2. conniti.

ANTVERPIÆ EXCVDEBAT CHRI-
STOPHORVS PLANTINVS AN-
NO M. D. LXIIII. KALEND.
MARTII.